# PIUS VI.

## ANNO SEXTO

Dat. die 29 februarii 1779. Anno VI.

### CCXLVIII.

Lituana provincia fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia ab omnimoda jurisdictione ministri generalis ejusdem ordinis eximitur, et in novam congregationem erigitur.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Apostolicæ Sedis auctoritas, quæ universi catholici orbis consulit felicitati, religiosorum ordinum commodo, et tranquillitati sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sancitis legibus decreverit, quæ ad illorum regimen, atque incolumitatem conferre in Domino viderentur: pastoralis quippe Romanorum pontificum cura in eo tota est, ut quidquid ad vineam Domini colendam, ad catholicæ religionis administros sublevandos, et ad pacem servandam pertinet, enixis viribus studeat promovere.

Erectio congregationis Lusitanæ peracta a Clemente XIV commemoratur

§. 2. Non raro summi pontifices prædecessores Nostri pro temporum ratione apostolica, qua pollent, potestate plura condiderunt decreta, quibus incommoda religiosorum ordinum spectatis viris, aut lenirentur, aut tollerentur. Nuper id merito persuasum fuit felicis recordationis Clementi pp. XIV. prædecessori Nostro, qui, supplicante claræ memoriæ Josepho, dum vixit, Portugalliæ, et Algarbiorum rege fidelissimo, Lusitanam provinciam sancti Philippi nuncupatam ordinis beatæ Mariæ virginis de monte Carmelo discalceatorum ab obedientia, et jurisdictione exteri superioris generalis exemit, et in novam Lusitanam congregationem erigi voluit peculiaribus legibus gubernandam.

Regina Portugalliæ exposuit separationem provinciæ

§. 3. Cum autem et nunc pro parte carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ Nobis expositum fuerit, urgentibus æque justissimis causis, necessariam esse separationem Lusitanæ provinciæ fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupatorum a præsule generali extero, rite, et mature perpensis omnibus, nec non piis ejusdem Mariæ Franciscæ votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, fratresque prædictos demum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratam Lusitanam provinciam tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupatam, ejusque conventus, domos, et personas denique omnes, a subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione exteri superioris generalis dicti ordinis apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus, eamdemque provinciam sic exemptam, et separatam in novam congregationem Lusitanam fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupandam auctoritate, et tenore prædictis erigimus, et instituimus.

Lusitanæ a præsule extero, quam pontifex indulget.

Concessio privilegii eligendi generalem, aliosque superiores.

§. 4. Præterea fratribus novæ hujusmodi congregationis Lusitanæ sic a Nobis per præsentes erectæ facultatem juxta regulares sui ordinis constitutiones apostolica auctoritate confirmatas sibi eligendi generalem, aliosque superiores generales, qui congregationem ipsam dirigere, ac gubernare valeant, et debeant, pari auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Quoniam vero pro recto gubernio, ac regimine novæ congregationis hujusmodi communi consilio conditæ sunt leges, et constitutiones Nobis jam exhibitæ, quæ-

que sacris canonibus, conciliorumque decretis non adversantur, sed majorem primitivæ regulæ observantiam, Christifidelium ædificationem, et Dei gloriam respiciunt, quas per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas literas confirmavimus, juxta illarum propterea formam congregationem prædictam regi, et gubernari tenore, et auctoritate prædictis volumus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate fungente scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit quibusvis dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis; ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

## CCXLIX.

Dat. die 29 februarii 1779 Anno VI.

Confirmatio constitutionum novæ congregationis Lusitanæ pro fratribus tertii ordinis sancti Francisci.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Commemoratur erectio congregationis et conditio statutorum per eam decretorum.

§. 1. Cum Nos hodie per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas literas Lusitanam provinciam fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupatorum eamdem provinciam una cum illius conventibus, domibus, et personis a subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione exteri ministri generalis ordinis prædicti carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ votis annuentes, perpetuo auctoritate Nostra apostolica eximerimus, et liberaverimus, eamque in novam congregationem erexerimus, prout in eisdem literis quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur. Hinc cum de communi fratrum prædictorum consilio novæ constitutiones, ac leges, juxta quas eadem congregatio sic erecta in posterum erit regenda, gubernandaque, fuerint exaratæ, tenoris qui sequitur.

Tenor statutorum prædictorum.

§. 2. Incipit regula sacri tertii ordinis de Pœnitentia regularis religiosæ observantiæ Seraphici patris Nostri divi Francisci, tam ad viros religiosos ejusdem ordinis, quam ad religiosas mulieres confirmata, et approbata per Nostros sanctissimos patres Nicolaum IV. et Leonem X. ac ultimo distincta, confirmata, et approbata per Nostrum sanctissimum patrem Pium papam sextum pro congregatione prædicti tertii ordinis de Pœnitentia regularis religiosæ observantiæ in Portugalliæ, et Algarbiorum regnis, eorumque dominiis, cujus regulæ tenor sequitur, et est talis.

### Caput I.

*De novitiorum ingressu*

De ingressu novitiorum.

§. 3. Fratres, seu sorores ad hunc sacrum tertium ordinem Pœnitentiæ recipiendi debent esse fideles catholici, de hæresi non suspecti, in obedientia Romanæ Ecclesiæ firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore

sani, animo prompti ad serviendum Deo, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati, et de his omnibus, antequam recipiantur ab eo, qui facultatem recipiendi habet, diligenter examinandi sunt.

## Caput II.

*De his quæ promittere debent fratres, et sorores in professione*

De promissionibus emittendis a fratribus, et sororibus in professione.

§. 4. Fratres, et sorores, postquam per unum integrum annum probationis habitum detulerint (qui de lana arbitrio deffinitorii esse debet) si eorum conversatio laudabilis fuerit apud conventum, in quo quis, vel quæ habitum portaverit, de consilio discretorum dicti conventus ad professionem dicti ordinis recipiantur, in qua professione promittant servare mandata Dei, ac satisfacturos pro transgressionibus, quas facere possunt in futurum contra hanc tertiam regulam, ubi a prælatis requisiti fuerint, vivendo in obedientia sine proprio, et in castitate.

## Caput III.

*De jejunio*

De jejunio

§. 5. Fratres, et sorores perpetuis temporibus feria quarta, sexta, et sabbato (excepto Dominicæ Nativitatis festo) carnes non comedant, et a festo omnium sanctorum, usque ad Resurrectionem Domini omni feria quarta, et sexta, jejunare teneantur, ac similiter qualibet sexta feria totius anni. Item ab adventu universalis Ecclesiæ usque ad Nativitatem Domini quotidie jejunent, sicut a quadragesima ejusdem universalis Ecclesiæ usque ad resurrectionem Domini, quam tamen a quinquagesima incipere debent. Diebus vero, quibus non jejunatur, bis in die dumtaxat comedant, excepto quod a festo Paschæ usque ad mensem octobris, laborantes pœnoso, seu gravi labore ter in die refici poterunt (jejuniorum semper diebus exceptis). Poterunt autem itinerantes, infirmi, et debiles tempore necessitatis jejunium solvere.

## Caput IV.

*De divino officio*

De Divino officio.

§. 6. Fratres, et sorores in ecclesia servent silentium præsertim quando missa celebratur, vel sermo Dei proponitur. De aliis vero locis, temporibusque servent, quod per suos superiores circa silentium illis fuerit ordinatum. Debent etiam quotidie in sero intra se, et Deum cogitare, quid fecerint, dixerint, aut cogitaverint. Quolibet autem die, si commode potuerint, debent missam audire. Illi autem, vel illæ, qui, vel quæ horas canonicas sciunt per se dicere, debent eas secundum usum Romanæ Ecclesiæ persolvere. Qui vero horas canonicas nesciunt dicere, duodecim *Pater noster* pro matutino dicant, et pro qualibet aliarum horarum septem; addito *Gloria Patri* in fine cujuslibet *Pater noster*; addito etiam *Credo*, et *miserere mei Deus* in principio primæ, et completorii. Et qui præmissa nescierit, loco eorum ter *Pater noster* dicere debet. De confessione vero sacramentali, et sacra communione sumenda, non sacerdotes servabunt ordinationem Nicolai pp. IV., nempe quod ter in anno confiteantur, atque communicent; etiam statuta a suis superioribus super hoc ordinata servando.

## Caput V.

*De electione prælatorum, officiorumque suorum*

§. 7. Quælibet domus si monasterium virorum fuerit, habebit superiorem istius fraternitatis, qui minister localis appellabitur, si vero mulierum mater, seu abbatissa dicetur, et eligentur ministri per diffinitorium ejusdem congregationis, ita tamen, quod nullus sit perpetuus, sed certi temporis. De electione prælatorum, et de eorum officio.

## Caput VI.

*De modo interius, exteriusque conversandi*

§. 8. Cum fratres, et sorores hujus ordinis dicantur de Pœnitentia oportet, eos ab omni curiositate, tam in vestibus, quam aliis quibuscumque abstinere, et juxta apostolicum principis beati Petri salubre consilium, depositis cœteris vanis hujus sæculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi solum humile, et necessarium tegumentum corporis sui. Debent etiam ab accessu curiarum, principum, dominorum, seu dominarum, ubi mollia hujus mundi (Domino te- De modo conversandi.

stante) habentur, omnino cavere. Nec ullo unquam tempore choreis, ludis, jocis, et aliis histrionum vanitatibus interesse. Debent quoque esse parci in verbis, et locutionibus, quæ raro sine peccato multiplicantur. Et super omnia ab omni mendacio, et juramento quocumque juxta mandatum Domini nisi pro pace, fide, calumnia, et testimonio perhibendo cavere debent. Et omni die in sero inter cœtera debent se examinare, si vel mendacium, vel juramentum aliquod fecerint, et pro quolibet ter *Pater noster* dicere debent.

### Caput VII.

*De visitatione, et cura infirmorum*

De visitatione, et cura infirmorum.

§. 9. Si quis frater, vel soror hujus fraternitatis in infirmitatem ceciderit, minister domus, vel mater semel quotidie per se, vel per aliam personam visitare teneantur, et de bonis communibus omnia necessaria diligenter faciant illi ministrari; teneanturque infirmum, vel infirmam monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque conversionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem, et judicii divini districtionem, simulque divinam misericordiam ei proponendo,

### Caput VIII.

*De visitatione, quam prœlati debent facere circa fratres, et sorores*

De visitatione prælatorum.

§. 10. Generalis ejusdem congregationis, vel cui ipse id ipsum commiserit visitabit quolibet anno semel tantum quamlibet domum. Et facta visitatione sororum non debet intrare officinas, nec alia interiora earum. Ipse autem scandalo occurrens nunquam solus maneat, et separatus cum aliqua sorore. Debent autem ministri, et matres dicere prælato communitatis defectus, qui correctione indigent, similiter, et alii fratres, et sorores, ut si aliqui fuerint incorrigibiles, de judicio diffinitorii de congregatione ejiciantur.

### Caput IX.

*De officiis mortuorum*

De officiis mortuorum.

§. 11. Postquam aliquis frater, vel soror ab hac luce migraverit, curabit minister, seu mater, quod ejus exequiæ solemniter celebrentur. Quibus exequiis omnes fratres, vel sorores illius domus, ubi ipsum mori contigerit, personaliter interesse debent, nec recedere donec corpus traditum fuerit sepulturæ, et pro anima cuiuslibet defuncti infra octo dies quilibet sacerdos unam missam, scientes autem psalterium quinquaginta psalmos, nescientes vero psalterium quinquaginta *Pater noster*, et in fine cujuslibet *Requiem æternam* dicere teneantur. In fine autem cujuslibet anni, seu infra quemlibet annum quilibet sacerdos tres missas pro defunctis tam fratribus, quam sororibus; scientes vero psalterium, unum psalterium, nescientes vero psalterium centum *Pater noster* cum *Requiem* in fine cujuslibet dicere debent. Et circa ista officia pro defunctis, et alia in præsenti serie annexa, cura imponetur ministris, et matribus, ut fideliter persolvantur.

### Caput X.

*De obligatione contentorum in regula*

De obligatione contentorum in regula.

§. 12. Omnia, et singula in præsenti regula contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humano, vel divino jure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen fratres, et sorores facere pœnitentias sibi a superioribus impositas, quando super hoc requirantur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia, paupertatem nihil in speciali habendo; castitatem, quia post votum non possunt matrimonium contrahere, nec sine transgressione hujus voti vitiis carnis se immiscere; et obedientiam, quantum ad illa, sine quibus non potest commode ista fraternitas manuteneri. Tenentur etiam sorores ad clausuram servandam, quam expresse servare vovebunt. Quod omnibus, et singulis conventibus prædictæ congregationis concedimus. Datum Romæ etc.

Preces porrectæ pro obtinenda confirmatione statutorum, et tenor confirmationis apostolicæ.

§. 13. Quas Nobis nuper exhibitas ut ipsæ firmius subsistant, et observentur exactius, apostolica auctoritate communiri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur prius præinsertis constitutionibus debite expensis, iisque sacri concilii Tridentini, aliisque canonicis sanctionibus, ac etiam ordinis prædicti regulis nedum non adversari, sed apprime convenire adinventis, ac in prædictorum fratrum in Nos, et sanctam Sedem apostolicæ

fidei, et devotionis merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque precibus etiam in hac re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas constitutiones auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus pariter, et approbamus, eisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Decernentes ipsas præsentes literas, et constitutiones præinsertas semper firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 15. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, quibusvis etiam dicti ordinis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima nona februarii anno millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCL.

Dat. die 1 martii 1780. Anno VI.

Facultas fundandi unum regulare hospitium in civitate Portugallensi cum publica cappella, in qua missa, et alia divina officia celebrari possint ad commodum fratrum Reformatorum sancti Francisci.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Sedula fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia Reformatorum nuncupatorum provinciæ Conceptionis beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ regni Portugalliæ in excolenda vinea Domini cura, animique contentio promerentur, ut ad ea, per quæ cum divini cultus augmento, eorum quoque commoditatibus consulatur, libenter intendamus. Sane pro parte dilecti filii Antonii a Doloribus fratris expresse professi, ac ordinis, et provinciæ hujusmodi ministri provincialis Nobis nuper expositum fuit, quod cum dicta provincia nullum huc usque in civitate Portugallensi locum habuerit, ubi prout religiosos decet dictæ provinciæ fratres pro negotiis, et causis ad eam pertinentibus de superiorum suorum licentia eo venientes se recipi valerent, sed in domibus conductis degere cogerentur, idem exponens, quo huic incommodo, unde nonnisi regularis disciplinæ relaxatio, cum ordinis dedecore oriri solent, occurrere posset, unum hospitium in dicta civitate fundare cupiens, non modo multorum fidelium pia subsidia parata ad hoc invenit, verum etiam venerabilis fratris moderni episcopi Portugallensis assensum ob-

tinuit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultas erigendi hospitium, cum cappella publica, et sacrario.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem, cujus vota etiam carissima in Christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliæ, et Algarbiorum regina fidelissima sui favoris auxilio prosequuta est, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: exponenti prædicto, ut ipse in dicta civitate Portugallensi unum hospitium, portam ad formam regularis domus habens, in quo fratres ordinis, et provinciæ prædictæ pro negotiis dictorum ordinis, et provinciæ ad eamdem civitatem adventantes commorari, et degere valeant, ac teneantur, fundare; publicam præterea apud illud cappellam cum sacrario, aliisque membris necessariis, et opportunis ad missarum, aliorumque divinorum officiorum juxta regularia dicti ordinis instituta celebrationem extruere libere, et licite possit, licentiam, et facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausulæ salutares, et irritantes, ut concessio suum plenum sortiatur effectum.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictoque provinciali, aliisque pro tempore existentibus superioribus, et fratribus prædictis, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusdam felicis recordationis Clementis pp. X. prædecessoris Nostri die prima martii anni MDCLXXV. expeditis literis, et subinde per alias similes confirmatis, quibus prohibetur, ne novæ fratrum mendicantium domus, nisi ad quinque, aut saltem quatuor leucas a conventibus provinciæ de Solitudine nuncupatæ inibi existentibus fratrum ordinis ejusdem sancti Francisci de observantia distantes erigi possint, aliisque apostolicis in contrarium forsan editis constitutionibus, ac primodictæ provinciæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima martii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLI.

Dat. die 4. martii 1780 Anno VI.

Ampliatio, confirmatio, et extensio privilegiorum, ac in immunitatum concessarum militibus pedestribus cohortis terrarum arcis Sinibaldæ, et Belmontis erectæ sub vexillo sanctæ Sedis, et sub jussu, ac omnimoda subjectione baronis.

Joannes Baptista Rezzonico reverendæ cameræ apostolicæ clericus, ac commissarius generalis armorum.

Tenor literarum apostolicarum, quibus Clemens XIII. privilegia, et immunitates concessit ad supplicationem marchionis Muti.

§. 1. Cum sanctissimus dominus Clemens divina providentia pp. XIII. supplicationibus illustrissimi domini marchionis Innocentii Muti domini terrarum arcis Sinibaldæ, et Belmontis sitarum in provincia Sabinæ benigne inclinatus chirographum Sanctitatis suæ manu die 15 novembris currentis subsignatum, Nobis pro executione omnium in eo contentorum direxerit sub hujusmodi tenore videlicet = Monsignor Gio. Battista Rezzonico chierico della Nostra camera, e commissario generale dell'armi. Ci ha fatto rappresentare il marchese Innocenzo Muti nobile Romano

Nostro cameriere segreto possessore delle due terre di Rocca-Sinibalda, e Belmonte nella Nostra provincia di Sabina di avere egli fino dall'anno 1739. fatto acquisto delli suddetti due feudi coll'onorifico titolo di principato rispetto a Rocca-Sinibalda, di cui insieme col proprio territorio, e suoi annessi fu condecorato dal venerabile servo di Dio Innocenzo XI. con Breve apostolico spedito li 19. dicembre 1685., e di marchesato rispetto alla terra di Belmonte, l'uno, e l'altro prima spettanti alla nobile famiglia Lante Feltrio della Rovere, ed avere altresì, tanto l'antecedenti possessori, quanto il supplicante successore nelli detti due feudi sempre ritenuto, e ritenere in piede la milizia di fanteria ristretta ad un certo numero di soldati colla loro officialità alta, e bassa, non meno per servizio della Sede apostolica, e decoro di detti feudi, che per garantire, secondo l'occorrenze la quiete, e tranquillità delli vassalli dalle incursioni degli esterni malviventi, e gente facinorosa, che tentassero turbargliela, impiegando tali soldati anche all'occorrenza nella formale difesa, e custodia della fortezza di Rocca-Sinibalda, che si è trovata per fino fornita di attrezzi militari, e per lo passato munita anche di alcuni pezzi di artiglieria trasportati soltanto in questo Nostro castello di sant' Angelo in tempo dell'armamento della fel. mem. di Clemente XI. Nostro predecessore, sebbene per altro in quella congiuntura restasse la fortezza suddetta presidiata dalla stessa milizia locale col rinforzo di sei soldati del reggimento di Roma a tal effetto trasmessi; ma avendo esso nobile oratore qualche dubbiezza, se li soldati nelli suddetti due feudi arrollati, e da arrollarsi possano godere per tutto il Nostro stato ecclesiastico li privilegj, ed esenzioni, che godonsi da quelli, che si trovano arrollati, e descritti nelle milizie urbane dello stesso stato, perciò ad effetto di togliere ogni dubbio, ed assicurare non meno il supplicante, e suoi successori, che li stessi soldati baronali del godimento di tali privilegj, ci ha umilmente supplicato per via di nuova concessione della grazia onorifica non meno a se, che a tutti li suoi successori possessori anche estranei delli menzionati feudi di poter eriger in cadauno di essi una compagnia di soldati di fanteria sotto le gloriose insegne della santa Sede, delle quali possessori anche estranei debbano essere li colonnelli perpetui col godimento delli detti privilegj militarj per tutti i luoghi del Nostro stato a favore di tutto il corpo, e di ciascuno individuo della stessa milizia colla facoltà in ogni caso delle menzionate incursioni di fare armare, e custodire dalli suddetti soldati la suddetta fortezza per la tranquillità delli medesimi popoli, e volendo Noi far godere all' oratore gli effetti della Nostra pontificia beneficenza con avere in vista l' antico decoro, e splendore delli suddetti due feudi, e la soggezzione della detta nuova milizia alla Nostra Sede apostolica, ci siamo determinati di accordargli la richiesta grazia nella guisa, che saremo per esprimere in appresso; quindi avendo nel presente Nostro chirografo per espresso lo stato, natura, qualità, e situazione delli suddetti due feudi, delli privilegj militari conceduti da' pontefici Nostri antecessori, e specialmente da Alessandro VIII., della supplica presentataci, ed ogni, e qualunque altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, e degna d'individua menzione, di Nostro moto proprio, certa scienza, e colla pienezza della Nostra apostolica potestà ordiniamo, ed ingiungiamo a voi, che in Nostro nome, e di questa santa Sede diate, e concediate, siccome Noi diamo, e concediamo al predetto Innocenzo Muti, e suoi figliuoli, eredi, e successori qualsisiano anche estranei, che saranno possessori temporanei delli menzionati due feudi, piena, e libera potestà, facoltà, ed autorità di potere nelle suddette due terre di Rocca Sinibalda, e Belmonte nella detta provincia di Sabina erigere, stabilire, e ritenere due compagnie distinte di fanti composte in tutto di numero cento fanti a piedi per ciascheduna, compresavi l'alta, e bassa officialità, che deve corrispondergli a norma delle regole militari da arrollarsi volontariamente tanto delli suddetti feudi di Rocca-Sinibalda, e Belmonte, e loro territorio, quanto nei luoghi convicini, ove però non sieno erette simili compagnie, e squadre militari, colla condizione però, a tenore delle regole militari medesime, di rendere disciplinati tali soldati per avvalersene in qualunque bisogno della Sede apostolica ad ogni nostra richiesta, e de'successori nel vostro incarico, e con piena libertà, ed assoluta facoltà al detto Innocenzo Muti, e suoi di nominare, ed eleggere in perpetuo i capitani, ed altri officiali della detta compagnia a loro arbitrio, e di spedire alli medesimi le necessarie patenti, ed alli

soldati li soliti bollettini, e tutt'altro che per maggior disciplina, e regolamento della detta compagnia potesse richiedersi, ed inoltre agli officiali, e soldati, come sopra da arrollarsi, accordiate, e concediate conforme noi accordiamo, e concediamo gl'istessi privilegj, prerogative, grazie, ed esenzioni accordate dalli sommi pontefici Nostri predecessori; e specialmente dalla fel. me. di Alessandro papa VIII. a simili soldati di milizia del Nostro stato ecclesiastico, e nella guisa, e forma, che finora sono stati dalli medesimi goduti, e che si goderanno in appresso, ed inoltre colla sola subordinazione a voi, ed alli vostri successori nella carica, e non ad altri in qualunque caso di urgente bisogno della Nostra Sede apostolica, deputiate, conforme Noi deputiamo il suddetto marchese Innocenzo Muti, li di lui figli, e discendenti maschi coll'ordine di primogenitura possessori *pro tempore* delle suddette terre di Rocca-Sinibalda, e Belmonte in colonelli perpetui, e commandanti delle dette compagnie de' soldati a piedi con tutti li privilegi, autorità, e facoltà solite godersi da simili colonnelli, precedente però nell' atto di tale deputazione la prestazione del giuramento di fedeltà alla Sede apostolica da prestarsi da detto marchese Innocenzo per se, e suoi successori in infinito, e coll' obbligo di tenere in ogn'anno la generale rassegna, oltre le altre quattro annuali mostre solite a darsi dal capitano in tutto a tenore delle regole militari, e nella forma, e guisa di sopra espressa, e per la totale effettuazione delle cose promesse, interporrete, e prestarete qualunque decreto, e beneplacito, spedirete, e concederete le lettere esecutoriali della presente Nostra pontificia grazia, e farete ogni altra cosa necessaria, dandovi oltre le vostre solite, tutte le altre facoltà opportune per esser tale la mente, e volontà Nostra espressa.

*Clausulæ salutares, et irritantes.*

§. 2. Volendo, e decretando, che il presente Nostro chirografo, abbenchè non ammesso, nè registrato in camera, e ne'suoi libri, vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa opporre di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimente debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da voi, e da vostri successori, dal reverendissimo cardinal camerlengo, da monsignor tesoriere generale, dalla piena camera, ruota, e da qualunque altro giudice, e tribunale, benchè collegiato, e composto di reverendissimi cardinali, e da questi anche legati a latere, togliendo loro, ed a ciascun di essi la facoltà, ed autorità di giudicare, decidere, ed interpretare diversamente, e dichiarando d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò che scientemente, o ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi sieno stati chiamati, citati, nè sentiti monsignor commissario della Nostra camera, e quali si sieno altri, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, non ostante la Bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e qual si siano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de'Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema podestà a qualunque vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che nelle cose premesse potesse intervenire, per questa volta sola, ed all' effetto predetto specialmente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 15 novembre 1765.

Clemens PP. XIII.

*Executio dictarum literarum.*

§. 3. Nos igitur ea, quæ in præfato chirographo per sanctissimum dominum Nostrum papam Nobis injuncta, et demandata fuere debitæ, ut par est, executioni demandare volentes præfato illustrissimo domino marchioni Innocentio Muti domino dictarum terrarum arcis Sinibaldæ, et Belmontis, ejusque filiis, et descendentibus, ac in dictis feudis successoribus, ut in antedictis terris formaliter erigere, statuere, et retinere binas cohortes militares pedestres compositas ex centum militibus pro qualibet, comprehensis officialibus necessariis juxta militares regulas voluntarie conscribendis tam in antedictis binis terris, eorumque territoriis, quam in locis finitimis, ubi tamen non adsint aliæ consimiles cohortes, vel manipuli militum, et sub expressa lege juxta formam statutorum, et regularum

militiæ instruendi, et ad militiæ functiones aptos reddendi eosdem milites pro quovis usu militiæ in quavis Sedis apostolicæ indigentia, et necessitate ad omnem requisitionem sanctissimi domini Nostri papæ, ejusque legitime in papatn successorum, ac pro tempore Sedis apostolicæ commissariorum, et cum plena facultate eidem domino marchioni Innocentio Muti, et suis prædictis impertita perpetuo eligendi, et deputandi capitaneos, seu duces, aliosque officiales dd. cohortium eorum arbitrio, eisque expediendi, et tradendi literas patentales, nec non militibus solitos bollectenos, et alia agendi, et exequendi, quæ pro militari disciplina, et instructione dictorum militum exequi necesse erit plenam, et liberam facultatem harum serie, et tenore præsentium concedimus, et impertimur, nec non pro ulteriori dicti chirographi executione officialibus, et militibus, ut supra conscribendis easdem exemptiones, privilegia, gratias, et prærogativas a summis pontificibus, et præsertim a san. mem. Alexandro pp. VIII. similibus militibus status ecclesiastici concessas, et impertitas communicamus, et concedimus eo modo, et forma, quibus cæteri milites status ecclesiastici privilegiis prædictis pariformiter potiuntur, fruuntur, ac in posterum potiri, et frui contigerit, et insuper attenta præstatione solemnis juramenti expleta in manibus Nostris a dicto domino marchione pro se, ejusque successoribus præfatis cum totali subordinatione Nobis, nostrisque in munere successoribus in quemvis casum urgentivum Sedis apostolicæ, eumdem dominum marchionem Innocentium Muti, ejusque filios, et descendentes masculos ordine primogenituræ in dictis feudis arcis Sinibaldæ, et Belmontis successores in columnellum, ac columnellos perpetuos, et directores dictorum cohortium militum pedestrium cum omnibus privilegiis, authoritatibus, et facultatibus a similibus columnellis frui solitis perpetuo eligimus, et deputamus, sub obligatione habendi anno quolibet solitam generalem militum recensionem, ultra alias quatuor annuales lustrationes, et recensiones a capitaneis haberi debitas, et consuetas juxta militares regulas, et in omnibus, ac per omnia, prout idem sanctissimus dominus Noster pontifex in supra registrato chirographo jussit, concessit, deputavit, et impertitus fuit iis omnibus non obstantibus, quæ idem sanctissimus dominus Noster in chirographo voluit non obstare, ac respective declaravit. In quorum etc. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die 26 novembris 1763.

Jo. Baptista Rezzonico præfectus armorum.
Silvester Antonius Mariotti R. C. A. secretarius, et camerarius.

Reg. in lib. divers. fol. 86.

Paulus Hieronymus Massei
Cameræ apostolicæ clericus decanus, et armorum præfectus

§. 4. Cum sanctissimus dominus noster Pius divina providentia pp. VI. gloriose, et feliciter regnans supplicationibus defuncti marchionis Antonii Menafoglio dum viveret domini, et possessoris feudorum arcis Sinibaldæ, ac Belmontis cum annexis terris di Pantana, e delle ville sitorum in provincia Sabinæ benigne inclinatus bina chirographa, alterum sub die 29 aprilis 1778., et alterum Sanctitatis suæ manu in die 4 martii 1780. obsignata primum in hoc commissariatus munere antecessori, et alterum Nobis pro executione in eis contentorum direxerit sub tenoribus sequentibus videlicet.

*Memorantur aliæ literæ de eadem re datæ de anno 1778.*

Monsignor Ferdinando Spinelli chierico della Nostra camera, e dell' armi commissario generale.

§. 5. Ci ha fatto rappresentare il marchese don Antonio Menafoglio Milanese di aver egli con precedente Nostro chirografo li 10. gennajo dello scorso anno 1777., e diretto al signor cardinal Bernardino Giraud Nostro pro-uditore fatto acquisto delli due nobili feudi, cioè del principato di Rocca Sinibalda, e del marchesato di Belmonte con le annesse terre di Pantana, e delle ville situate nella Nostra provincia di Sabina, ed in addietro possedute dal marchese Innocenzo Muti, dal quale in virtù del lodato Nostro chirografo, per contratto di compra, e vendita sono passati nel dominio del detto marchese Antonio Menafoglio, come più ampiamente risulta dal mentovato chirografo, e di avere altresì tra li dritti annessi a detti feudi transmissibili a successori ritrovato quello di poter avere, e ritenere due compagnie di soldati fanti composte di cento uomini per cadauna oltre li soliti uffiziali, le quali dirette dal comando del pa-

*Tenor harum literarum.*

drone del feudo costituito colonnello delle medesime servissero non solo per servizio della Nostra santa Sede apostolica, e per decoro maggiore di detti feudi ma ancora per garantire dalle incursioni d'uomini facinorosi, e malcontenti la quiete, e la tranquillità delli vassalli, per impiegare altresì alle occorrenze li detti soldati nella difesa, e custodia della rocca, chiamata dal feudo col nome di Rocca Sinibalda, alli quali soldati fosse concessa la comunicazione di tutti li privilegi, grazie, ed esenzioni, che si godono dalle milizie del Nostro stato ecclesiastico, come risulta da chirografo segnato nel dì 26. di novembre dell'anno 1763. dalla sa. mem. di Clemente XIII. Nostro predecessore e diretto a monsignor Gio. Battista Rezzonico allora commissario generale dell'armi, col quale ancora si costituiva nuovamente colonnello perpetuo delle dette due compagnie il marchese Innocenzo Muti come padrone di detti feudi, ed i suoi successori, a' quali si dava la facoltà di arrollare il detto numero di soldati nelli detti feudi, e di spedire le solite patenti alli rispettivi alti, e bassi ufficiali con l'obbligazioni però del detto barone, e suoi successori di rendere disciplinati quei soldati, onde potessero alle occorrenze rendere il buon servizio alla santa Sede in qualunque di lei bisogno, ed a qualunque cenno vostro, o de' vostri successori nell'uffizio, a quali perciò dovesse la detta milizia essere unicamente, ed intieramente subordinata, e come più ampiamente si legge nel succennato chirografo. Quindi ci ha fatto ulteriormente rappresentare di avere nella rivista fatta tanto dell'uffizialità, che della soldatesca delle due compagnie ritrovata tutta quella milizia fuori del vero piede militare disordinata, e poco, o nulla istrutta nella militare disciplina, e quello che è peggio mancante ancora di quelle disposizioni, che secondo le buone regole sono necessarie all'oggetto di poter ottenere dalla detta soldatesca l'utile, e decorosa obbedienza alli Nostri sovrani comandi per li servigj, che ci potessero dalla medesima occorrere, e per quelli, che fossero necessarj alla difesa della rocca, ed a garantire la quiete, e la tranquillità de' vassalli, alla vista delli quali disordini siasi il detto marchese Antonio Menafoglio dato il pensiero di disporre le cose in guisa, onde possa risultar dalla predetta soldatesca il buon servizio per Noi, la sicurezza per i vassalli, ed il pubblico decoro de' feudi medesimi, e ciò per mezzo di provvedimenti atti a rendere uniformi nel vestimento quelle soldatesche, fornirle delle armi necessarie, e bene istruirle nel maneggio delle medesime, ed in tutte le altre operazioni correlative al fine per cui si sono arrollati. Per ottenere adunque un sì lodevole intento ci ha egli umilmente supplicato, che volessimo Noi degnarci di confermare non solo l'accennato chirografo di Clemente XIII. Nostro predecessore con tutte le cose in esso contenute, ma di più ancora che volessimo concedergli le ulteriori facoltà di accrescere in detta soldatesca altri duecento soldati oltre gli alti, e bassi uffiziali divisi in due altre compagnie da denominarsi col nome della terra di Pantana, e delle ville, che pur esistono nelli detti feudi, onde resti tutta quella milizia divisa in quattro compagnie con li respettivi loro alti, e bassi uffiziali, le quali compagnie, composte di cento soldati per cadauna componghino in tutto il numero di quattrocento soldati non compresi li anzidetti ufficiali con godimento a tutte, e singole persone di detto corpo militare di tutti quei privilegj, che si godono dalle altre milizie del Nostro stato ecclesiastico, e con tutte le facoltà alle medesime concesse nel mentovato chirografo di Clemente XIII. Nostro predecessore.

Ampliatio privilegiorum primo baroni concessorum, facta in favorem marchionis Menafoglio, et successorum ejus.

§. 6. E volendo Noi usare con l'oratore della Nostra sovrana beneficenza dopo avere inteso da voi l'esatta informazione delle sopra esposte cose siamo volentieri condiscesi di accordare benignamente al medesimo la richiesta grazia. Quindi di Nostro moto proprio, certa scienza, e con la pienezza della Nostra suprema autorità approviamo, confermiamo, e quando fia di bisogno rinnoviamo il chirografo ordinato dalla sa. mem. di Clemente XIII. Nostro predecessore in data li 26. novembre 1763., ed ordiniamo a voi, che in nome Nostro approviate, e confermiate intieramente il succennato chirografo, col quale fu conceduto al marchese Innocenzo Muti barone delli feudi di Rocca Sinibalda, Belmonte, Pantana, e ville annesse, ed agli altri suoi successori anche estranei la facoltà di erigere nelli detti feudi due compagnie di milizia composte di cento uomini per cadauna non compresi li alti, e bassi uffiziali, e delle quali fu il detto marchese Innocenzo Muti, e suoi successori anche estranei dichiarato colonnello perpetuo, sotto il comando di cui, e de' quali dovessero esser di-

rettè le dette compagnie tanto negli arruolamenti, spedizioni di patenti, ed altri simili atti, quanto nella direzione della militar disciplina, col godimento di tutti, e singoli privilegi, esenzioni, e grazie a favore di detta soldatesca, che si godono dalle altre milizie del Nostro stato, e con tutto il di più, che si esprime, concede, e vuole nel mentovato chirografo, avendo Noi a tale effetto nel presente chirografo Nostro, per espresso, e di parola in parola inserto il chirografo suddetto, come ancora lo stato, natura, qualità, e situazione di detti due feudi, delli privilegii militari conceduti da pontefici Nostri predecessori, e segnatamente da Alessandro VIII., ed ogni, e qualunque altra cosa necessaria ad esprimersi, e degna di special menzione in guisa, che il detto chirografo abbia la medesima forza, e valore, come se fosse stato nuovamente da Noi fatto in persona, ed a favore del marchese Antonio Menafoglio, e suoi successori anche estranei nelli feudi suddetti, onde abbia egli, ed i suoi suddetti ad avere l' intiero conseguimento di tutti gli onori, esenzioni, prerogative, grazie, privilegj, come ancora l' incarico di tutte le obbligazioni, condizioni, e pesi espressi, e voluti sopra la persona, e successori del marchese Innocenzo Muti in virtù del più volte rinomato chirografo di Clemente XIII. Nostro predecessore, al quale in tutto, e per tutto per la conferma del medesimo ci riportiamo, aggiungendo di più per effetto di Nostra graziosa condiscendenza per secondare lo zelo dell' oratore, e per conciliare maggior decoro a quelli feudi, e miglior servizio per la santa Sede, per Noi, e per quei popoli la facoltà, che liberalmente diamo, e concediamo, e che voi in nome Nostro darete, e concederete al ridetto marchese Antonio Menafoglio di accrescere la milizia ora esistente in detti feudi, ed ascendente al numero di soli duecento soldati non compresi gli alti, e bassi uffiziali divisi in due sole compagnie al numero di quattrocento oltre gli uffiziali suddetti da dividersi in quattro eguali compagnie di cento soldati per caduna, e questa soldatesca nel suddetto numero sottoponiamo, e sottoporrerete intieramente alla santa Sede, nel di cui nome, e sotto le di cui gloriose insegne dovrà militare, e per essa santa Sede a voi, ed a vostri successori nell'impiego colle facoltà al detto marchese Antonio Menafoglio colonnello delle medesime di arrollare, e spedire li biglietti di arrollamenti, per la detta soldatesca, e di creare, e spedire le patenti agli uffiziali rispettivi delle dette quattro compagnie da erigersi come si è detto nelli detti feudi, e con gli uomini delli feudi medesimi accordando al detto colonnello, suoi uffiziali, e soldatesca predetta tutti, e singoli privilegj, grazie, esenzioni, e prerogative concesse, e che si godono dalle altre milizie del Nostro stato ecclesiastico, ed in tutto, e per tutto a similitudine, ed uniformità delle medesime, con espressa condizione però in primo luogo, che l'arrollamenti de' soldati, e creazione di uffiziali da farsi dall' oratore suddetto non possa farsi, che degli uomini delli territorj appartenenti a detti feudi esclusi onninamente quegli di altra qualunque siasi giurisdizione; che debba la detta soldatesca esser tutta decentemente vestita militarmente, ed uniformemente; che sia istrutta dal marchese Menafoglio, o fatta istruire, contendere, e dirigere nella buona militare disciplina, acciò alle occorrenze possa esser atta al buon servizio, e finalmente con la perpetua, ed intiera soggezione alla santa Sede, ed a voi, ed a vostri successori nell'impiego pro tempore in guisa, che a vista di un semplice vostro ordine, o de' vostri successori debba la medesima, suoi uffiziali, e colonnello prestarsi alla totale obbedienza, servizio, ed esecuzione di quanto sarà per essergli ingiunto.

§. 7. Volendo, e decretando, che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in camera, e ne' suoi libri vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa opporre di surrezione, orrezzione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da voi, e da vostri successori, dal reverendissimo cardinal camerlengo, da monsignor tesoriere generale, dalla piena camera, Ruota, e da qualunque altro giudice, e tribunale benchè collegiato, e composto di reverendissimi cardinali, e da questi anche legati a latere togliendo loro, ed a ciascun di essi la facoltà, ed autorità di giudicare, decidere, ed interpretare diversamente, e dichiarando d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed in- Clausula sublata, et decretum irritans

valido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti monsignor commissario della Nostra camera, e quali si sieno altri, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, non ostante la Bolla di Pio IV. de registrandis, la regola della Nostra cancellaria *de jure quœsito non tollendo*, e qual si siano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema potestà a qualunque vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che nelle cose premesse potesse intervenire, per questa volta sola, ed all' effetto predetto specialmente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico Vaticano questo dì 29. aprile 1770.

Pius PP. VI.

Monsignor Paolo Girolamo Massei decano della Nostra camera, e dell'armi commissario generale.

Tenor literarum novissime expeditarum.

§. 8. Ci ha fatto rappresentare don Antonio Menafoglio Milanese marchese di s. Martino in Spino ec., che avendo egli con precedente Nostro chirografo segnato li 10. gennaro dell' anno 1777. e diretto al reverendissimo cardinale Bernardino Giraud Nostro pro-uditore fatto acquisto nella Nostra provincia di Sabina de' nobili feudi di Rocca Sinibalda, Belmonte, ed annesi col titolo, e qualità di principato in quanto al primo in conformità del Breve accordato alla casa Lante della Rovere dalla sa. mem. d' Innocenzo XI. Nostro predecessore in data 19. dicembre 1685., e di marchesato rispetto al secondo, e con tutti quei dritti, privilegj, e prerogative alli medesimi competenti; ci aveva supplicato non solo per la conferma dell' indulto concesso dalla sa. mem. di Clemente XIII. al marchese Innocenzo Muti antecedente possessore del suddetto principato, e suoi successori anche estranei di potere avere, e ritenere nei medesimi feudi due compagnie di fanteria composte di cento soldati per cadauna da potersi arruolare anche ne' luoghi convicini, dove però non fossero erette simili compagnie, e squadre militari, con il godimento dei privilegj militari per tutto lo stato pontificio, mediante chirografo dell'enunciato pontefice segnato li 15. novembre dell' anno 1763, e diretto al reverendissimo cardinale Giovanni Battista Rezzonico, allora commissario generale delle armi, ma eziandio perchè ci fossimo degnati di concedergli la facoltà di accrescere il numero di detta soldatesca fino a quattrocento per formare altre due compagnie, colla comunicazione de' medesimi privilegj alla prima già concessi, ed essendo Noi condiscesi a secondare benignamente le di lui suppliche, che ci furono riferite da monsignor Ferdinando Spinelli, mentre era commissario generale delle armi, come da rescritto fatto dal suddetto monsignor Spinelli dalla Nostra udienza il giorno 4. aprile dell' anno passato 1778., ne fu in seguito da Noi segnato sotto li 29. dello stesso mese d' aprile il corrispondente chirografo diretto al medesimo monsignor Spinelli, ma che avendo l'oratore osservato, che sebbene con detto Nostro chirografo veniva ad essere ampiamente confermato, e senza alcuna restrizione l' indulto suddetto dalla sa. mem. di Clemente XIII. per l'erezione, e ritenzione di dette due compagnie di fanteria di cento soldati per cadauna da arrollarsi tanto ne' sopraddetti feudi, quanto nei luoghi convicini, ad ogni modo poi nell' altra parte della nuova grazia, che parimente gli facevamo dell' ampliazione del suddetto numero di duecento soldati fino al numero di quattrocento non compresa l' alta, e bassa officialità, cioè per l' erezione di altre due compagnie, gli veniva ad essere ristretto l'arruolamento nelli proprj feudi solamente, talmente che vi fosse ragione da potersi dubitare, che nè tampoco per li duecento soldati del primo indulto rimanesse più all'oratore la facoltà di arrollarli anche fuori del territorio delli suoi feudi nei luoghi convicini, e per questo motivo non si dasse premura di sollecitare la pubblicazione di detto Nostro chirografo, volendo a scanzo di qualunque dubbio supplicarci prima come ha fatto, che ci fossimo degnati di dichiarare, che la restrizione suddetta dell' arruolamento nei soli proprj feudi, debba aver luogo solamente per l'accrescimento dei duecento soldati, di che Noi glie ne abbiamo accordato l' indulto, restando nel suo pieno vigore l' altro indulto precedente

della sa. mem. di Clemente XIII. accordato al marchese Innocenzo Muti, e suoi successori anche estranei di potere arrollare li duecento soldati anche ne' luoghi convicini fuori de' proprj feudi.

Declaratur quot milites, et quibus modis cooptandi sint a barone tum in locis feudalibus, tum in aliis finitimis.

§. 9. E volendo Noi far godere all' oratore gli atti della Nostra pontificia beneficenza siamo benignamente condiscesi ad ammettere le sue suppliche. Avendo pertanto nel presente Nostro chirografo per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato l' intiero tenore del succennato Nostro chirografo segnato li 29. aprile dell'anno 1778., della supplica presentataci de detto d. Antonio Menafoglio odierno barone di detti feudi degl' istituti, e leggi militari proibitive dell' arrollamento fuor di territorio, ed in aliena giurisdizione, e di ogni altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, e degna d' individua menzione, di Nostro moto proprio, certa scienza, e colla pienezza della Nostra podestà ordiniamo a voi, che in nome Nostro dichiariate, conforme Noi dichiariamo, che sia lecito al predetto d. Antonio Menafoglio attuale possessore del suddetto principato di Rocca Sinibalda etc. di arrollare nella predetta soldatesca de' suoi feudi duecento soldati, ancorchè siano de' luoghi convicini, ne' quali però non vi siano già erette simili compagnie, e squadre militari, nella maniera stessa, che simili facoltà erano proprie del suo antecessore in vigore del sorriferito chirografo della sa. mem. di Clemente XIII. volendo Noi, che la restrizione espressa nel precedente Nostro chirografo dell' arrollamento di soldati dentro il territorio de' proprj feudi s' intenda per gli altri duecento soldati per Nostra nuova grazia accresciuti, talmente che dei quattrocento soldati, non compresa l'alta, e bassa officialità di cui sarà composta detta soldatesca, due cento debbino essere de' proprj feudi, e gli altri duecento possino prendersi da' luoghi convicini.

In reliquis priores confirmantur concessiones.

§. 10. E salva questa dichiarazione vogliamo, che in tutto, e per tutto restino ferme, intatte, e nel suo pieno vigore tutte le altre concessioni, e grazie con li respettivi pesi, obblighi, e riserve contenute, ed espresse nell'anzidetto chirografo di Clemente XIII., e Nostro precedente delli 29. aprile, quale perciò confermiamo, ed approviamo.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Volendo, e decretando, che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in camera, e ne' suoi libri, vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa opporre di orrezione, nè di alcun altro vizio, e difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, ed interpretarsi da voi, e da' vostri successori, dal reverendissimo cardinal camerlengo, da monsignor tesoriere generale, dalla piena camera, rota, e da qualunque altro giudice, e tribunale, benchè collegiale, e composto di reverendissimi cardinali, e da questi anche legati a latere, togliendo loro, ed a ciascuno di essi, la facoltà di giudicare, decidere, ed interpretar diversamente, e dichiarando d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che scientemente, e ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti monsignor commissario della Nostra camera, e qualsisiano altri, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non ostante la Bolla di Pio IV *de registrandis* la regola della Nostra cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e quali si sieno altre costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa che facesse, o potesse far in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema potestà a qualunque vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che nelle cose premesse potesse intervenire per questa volta sola, ed all' effetto predetto specialmente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico questo dì 4. marzo 1780.

Pius PP. IV.

Cumque post sequutum obitum dicti marchionis Antonii, supplicationibus comitis Josephi Menafoglio ejus patrui, ac tutoris et curatoris d. marchionis d. Æmilii dicti defuncti marchionis Antonii filii in minori ætate adhuc extantis, eadem Sanctitas sua in audientia diei 13. currentis ad eumdem sanctissimum per nos habita pro gratia rescripserit juxta preces hujusmodi sub tenore expressas nimirum.

BEATISSIMO PADRE

Tenor precum a barone porrectarum, pro assequenda confirmatione, ampliatione, et declaratione privilegiorum.

§. 13. Il conte Giuseppe Menafoglio brigadiere delle truppe di S. A. S. il duca di Modena oratore umilissimo della Santità Vostra prostrato a suoi santissimi piedi ossequiosamente espone di ritrovarsi per deputazione della medesima A. S. S. tutore, e curatore di don Emilio figlio del marchese don Antonio Menafoglio possessore del principato di Rocca Sinibalda, e feudi annessi. In vista di ciò rappresenta a Vostra Beatitudine, che il predetto d. Antonio fece acquisto dalla casa Muti del medesimo principato, e feudi con tutti e singoli privilegj goduti dall' antecedente possessore, e segnatamente con quello riguardante i soldati di fanteria concesso alla stessa casa Muti dalla san: mem. di Clemente XIII. mediante chirografo segnato li 15. novembre dell'anno 1763., e registrato nel lib. divers. fol. 86 per gli atti del Mariotti segretario di camera, come diffusamente apparisce dall' istromento di acquisto stipolato li 21. gennaro 1777. per gli atti di Serafino Chiarelli segretario di camera in solidum con Stelrich notaro Capitolino. In seguito di che, ed in conferma, ed ampliazione ulteriore degli accennati privilegj, ottenne il medesimo don Antonio due diversi chirografi dalla Santità Vostra, uno dei quali diretto a monsignor Spinelli allora commissario generale dell'armi segnato li 29. aprile 1778., l' altro a monsignor Massei odierno commissario segnato li 4. marzo 1780, quali due chirografi sono originalmente esibiti per gli atti del Venti parimenti segretario di camera, dopo le quali concessioni cessò egli di vivere = implora adesso pertanto il predetto tutore, che la Santità Vostra si degni benignamente accordare, dichiarare, ed ordinare, che la grazia concessa, confermata, ed ampliata al defonto d. Antonio si estenda al prefato d. Emilio di lui figlio, sebbene constituito in età minore, come se fosse stato espressamente nominato nei medesimi successivi chirografi, come se quelli fossero stati spediti, e sottoscritti a di lui favore, e che durante la di lui minorità possa non meno il presente, che qualunque altro tutore legittimamente sostituito nominare, ed eleggere i capitani, ed altri officiali, e di spedire, sottoscrivere per il predetto d. Emilio alli medesimi le necessarie patenti, ed alli soldati li soliti bollettini, e fare tutt' altro, che resta espresso, accordato, e concesso nei predetti chirografi, aggiungendo, che le cose premesse esso oratore possa farle anche per mezzo di legittimo procuratore da costituirsi dal suddetto tutore stante la di lui assenza, e che tali patenti, e biglietti spediti, sottoscritti da tal procuratore abbiano lo stesso valore, efficacia, e facoltà come se fossero fatti, e segnati dallo stesso tutore, che trasferir possa nella persona surrogata tutte le sue facoltà specialmente relative a questo oggetto; Che etc.

Rescriptum pro gratiæ concessione.

§. 14. Alla Santità di nostro signore Papa Pio VI. per il conte Giuseppe Menafoglio brigadiere delle truppe di S. A. S. di Modena.

Al monsignor commissario dell' armi, che ne parli

Ex audientia SSmi
Die 13. junii 1781.

*Santissimus benignè annuit pro gratia in omnibus, et per omnia juxta preces, quibuscumque in contrarium minime obstantibus.*

P. H. Massei armorum præses
L. ✠ Sigilli

Executio litterarum apostolicarum.

§. 15. Nos igitur ea omnia, quæ in præinsertis binis chirographis per Sanctissimum D. N. Papam, hoc supplici libello cum rescripto a tergo in actis infrascripti segretarii cameræ originaliter exhibitis, Nobis injuncta, et demandata fuere, debitæ executioni demandare volentes (firma primitus remanente favore præfati marchionis d. Æmilii hodierni possessoris dictorum feudorum arcis Sinibaldæ, et Belmontis cum adnexis terris di Pantana, e le ville, ejusque filiis, et descendentibus, ac in eisdem feudis, et adnexis successoribus etiam extraneis facultate erigendi, statuendi, et retinendi binas cohortes centum militum pedestrium pro qualibet prout concessa fuit illustrissimo domino marchioni Innocentio Muti tunc domino, et possessori ipsorum feudorum relative in omnibus, et per omnia ad præcitatum chirographum S. M. Clementis XIII. diei 26 novembris 1763 originaliter exhibitum in actis Mariotti alterius ex segretariis cameræ apostolicæ; ad quod etc. et non alias etc.) præfato illustrissimo D. marchioni d. Æmilio Menafoglio, suisque prædictis, et pro dicto marchione d. Æmilio, durante illius minorita-

te, ac tutela, et cura præiudicato comite Josepho Menafoglio qua illius tutori, et curatori relative ad præinsertum pontificium rescriptum, ut in antedictis terris formaliter erigere, statuere, et retinere alias binas cohortes militares pedestres compositas ex centum militibus pro qualibet ex hominibus territoriorum, et feudorum præfatorum, exclusis semper, et omnino aliis cujuscumque alterius civitatis, terræ, territorii, ac provinciæ quamvis status, et ditionis ecclesiasticæ ultra officiales necessarios juxta militares regulas sponte, et voluntarie conscribendis. Quo vero ad primo dictas alias binas cohortes equidem centum militum pro qualibet non comprehensis prædictis officialibus, ex hominibus simili modo conscribendis tam ex antedictis binis feudis, et terris, eorumque territoriis, quam ex locis finitimis, et propinquis status ecclesiastici ubi tamen non adsint aliæ consimiles cohortes erectæ, vel manipuli militum juxta concessionem fel. recod. Clementis XIII. ut supra fact.; et sub expressa lege juxta formam statutorum, et regularum militiæ instruendi, et ad militiæ functiones aptos reddendi eosdem milites pro quovis usu militiæ in quovis Sedis apostolicæ indigentia, et necessitate ad omnem requisitionem Sanctissimi D. N. Papæ, ejusque legitime in papatu successorum, ac pro tempore Sedis apostolicæ commissariorum, aut armorum præsidum, et præfectorum, et cum plena facultate eidem d. Marchioni Æmilio Menafoglio, suisque prædictis impertita perpetuo eligendi, et deputandi capitaneos, seu duces, aliosque officiales dictarum quatuor cohortium eorum arbitro, eisque expediendi, et tradendi literas patentales, necnon militibus solitos bullecthenos; et alia agendi, procurandi, et exequendi, quæ pro militari disciplina, et instructione dd. militum exequi necesse erit plenam, et liberam facultatem harum serie, et tenore præsentium concedimus, et indulgemus, nec non pro ulteriori chirographi exequutione officialibus, et militibus ut supra conscribendis easdem exemptiones, privilegia, gratias, et præsertim a recol. mem. Alexandro pp. VIII. similibus militibus status ecclesiastici concessas, et indultas communicamus, et impertimur eo modo, et forma quibus cæteri milites status ecclesiastici privilegiis prædictis pari formiter potiuntur, gaudent, et fruuntur, ac imposterum potiri, gaudere, et frui contigerit, at insuper injucto dicto marchioni d. Æmilio Menafoglio, ejusque successoribus præfatis totali dispositione, et subordinatione nobis, nostrisque in munere successoribus sub vexillo hujus sanctæ Sedis in quemvis casum urgentivum ipsius Sedis apostolicæ, ipsum marchionem d. Æmilium Menafoglio, ejusque filios, et descendentes masculos in dictis feudis arcis Sinibaldæ, et Belmontis cum suis adnexis terris successores in columnellum, et columnellos perpetuos, et directores dictarum quatuor cohortium militum peditatorum cum omnibus privilegiis, auctoritatibus, et facultatibus a similibus columnellis frui solitis perpetuo eligimus, et deputamus, sub obligatione habendi anno quolibet solitam generalem militum recensionem, ultra alias quatuor annuales lustrationes, et recensiones a capitaneis haberi debitas, et consuetas juxta militares regulas, et in omnibus, ac per omnia prout idem Sanctissimus D. N. pontifex Pius VI. in supra recensitis, ac registratis binis chirographis, et rescripto jussit, concessit, deputavit, et impertitus fuit in omnibus non obstantibus, quæ prælaudata Sanctitas Sua in eisdem chirographis, et rescripto voluit non obstare, ac respective declaravit, et decrevit taliter etc. In quorum etc. Datum Romæ ex palatio nostræ habitationis hac die vicesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo primo.

P. H. Massei armorum præses
Joannes Venti R. C. A. segretarius et cancellarius

Loco ✠ Sigilli

Dat. die 7 martii 1780. Anno VI

## CCLII.

Indulgentia plenaria pro iis, qui tempore solemnis benedictionis a patriarcha Lisbonensi duabus anni solemnitatibus populo impertiendæ circa ecclesiam patriarchalem reperientur, ac pro monialibus infirmis, et in carceribus detentis.

Venerabili fratri patriarchæ Lisbonensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Redemptoris, et Domini Nostri Jesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati Nostræ commisit Deus, fideli, prudentique liberalitate erogare studemus, sicut ad augendam, fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Memorantur aliæ literæ expeditæ super concessione indulgentiæ plenariæ, et quibus ipsæ profuerint.

§. 2. Cum itaque alias Nos per Nostras in simili forma Brevis expeditas literas fraternitati tuæ facultatem solemniter benedicendi populo cum plenaria omnium peccatorum indulgentia in duabus cujusque anni solemnitatibus sub certis modo, et forma tunc expressis concesserimus, et indulserimus, ac alias, prout in eisdem Nostris literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; plurimi vero sicut nuper accepimus, hujus ecclesiæ thesauri participes esse minime valeant, tum quia patriarchalis ecclesia, in qua solemnis benedictio hujusmodi impertitur, non omnes Christifideles ad illam hac de causa confluentes intra suos fines amplecti potest, tum etiam quia moniales clausuræ legibus obstrictæ, infirmi, et detenti in carceribus ad eam accedere nequeunt, iisque omnibus pro eximio, quo polles salutis animarum zelo consultum esse summopere desideres.

Ampliatio concessionis etiam pro aliis in dictis literis non contemplatis.

§. 3. Nos igitur pia vota hujusmodi plurimum in Domino collaudantes, eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, universo populo, tuo edicto, ac sonitu campanarum ejusdem patriarchalis ecclesiæ die præcedenti, tempus, ac horam benedictionis hujusmodi impertiendæ significare cures, et facias, ac pari quoque sonitu dictarum campanarum, dum eadem benedictio impertitur, omnes de ea certiores reddas. Nos enim omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis ad dictam ecclesiam patriarchalem se conferentibus, etiamsi ipsi ejus ambitum propter loci angustiam ingressi minime fuerint, sed foras circa eamdem ecclesiam præsentes tunc reperiantur; atque insuper monialibus, infirmis, et in carceribus existentibus, atque campanarum sonum hujusmodi audientibus, si tunc temporis flexis genibus, quatenus ab infirmitatibus ad id impediti minime sint, pias ad Deum preces pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione effuderint, eamdem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, perinde ac si intus ecclesiam patriarchalem prædictam eidem solemni benedictioni præsentes reperirentur, misericorditer in Domino concedimus.

Contrariis derogatur.

§. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 14 martii 1780. Anno VI.

## CCLIII.

Suppressio duorum aedium canonicorum regularium SSmi Salvatoris ordinis sancti Augustini.

Venerabili fratri Carolo archiepiscopo Patracensi Nostro, et sanctæ Sedis apud dilectissimum in Christo filium Nostrum Petrum Leopoldum archiducem Austriæ, regium Bohemiæ, et Hungariæ principem, et magnum Hetruriæ sibi subiectæ ducem nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Inscrutabili illius, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt, providentia ad supremi apostolatus fastigium meritis licet imparibus evecti, quamvis spiritualibus Dominici gregis Nobis divinitus commis-

si utilitatibus, atque incrementis promovendis jugi studio, assiduisque laboribus incumbere non desinimus; idque a Nobis suscipiendum probe intelligamus; libentius quidem id facimus, cum illorum apud quos auctoritatem Nostram interponimus dignitas, ac propria virtutum merita Nobis fiduciam dant eorum spectatæ in hanc sanctam Sedem voluntatis, et fidei, ac devotionis obtinendi incrementum.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Cum itaque exponi Nobis nuper fecerit dilectissimus in Christo filius Noster Petrus Leopoldus archidux Austriæ, regius Boemiæ princeps, ac magnus Hetruriæ sibi subjectæ dux, quod in suo magno ducatu duo aedes canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris ordinis sancti Augustini, altera nempe in loco Valle di Calci nuncupato Pisanæ diœcesis de sancto Augustino de Nicosia nuncupato; altera extra mœnia civitatis Senensis, de sancta Maria Angelorum pariter nuncupata existunt, in quibus vix octo canonici regulares dicti ordinis præter aliquos laicos moram trahere consueverunt, adeo ut ipse abbas generalis ordinis prædicti arduum nimis, ac difficile futurum fore cognoscat, etiamsi ex illarum unione una dumtaxat aedes canonicalis constitueretur, in ea novitiatum erigere, regularemque disciplinam pristino suo candori restituere; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui omnes Christifideles, præcipue vero, qui in religione Deo proprius famulare susceperunt, paterna charitate in Domino complectimur, ac ut hi uberes bonorum operum fructus in Ecclesia Sancta Dei assidue proferre satagant, impensis studiis, continuisque laboribus curamus, cum tenuis canonicorum regularium dicti ordinis in memoratis canonicalibus aedibus commorantium numerus impediat, quominus juxta laudabilem eorum instituti regulam fidelium animarum saluti, divinoque cultui efficaciter incumbant, clarissimorum prædecessorum Nostrorum exempla, ac instituta sectantes, ac memorati Petri Leopoldi archiducis, et magni ducis votis favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut memoratas duas aedes canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris, ordinis sancti Augustini, quarum altera de sancto Augustino de Nicosia nuncupata in loco Valle di Calci Pisanæ diœcesis, altera de sancta Maria Angelorum pariter nuncupata extra mœnia civitatis Senensis existunt, supprimas, ac extinguas, ac suppressas, et extinctas esse decernas.

Declarationes speciales.

§. 4. Declares insuper bona omnia tam stabilia, quam mobilia, ac semoventia, iura, et actiones ad easdem domos quomodolibet spectantia, et pertinentia cujuscumque generis, et speciei sint, in alios pios usus assignanda esse, et eroganda: ita tamen, ut ex fructibus, redditibus, et proventibus bonorum hujusmodi quotannis percipiendis, in primis tum octo canonicis prædictis, tum etiam ipsis laicis in dictis canonicalibus aedibus sic suppressis, et extinctis nunc commorantibus annua vitalitia præstantia, quæ sufficiens, et congrua judicabitur, cencedatur: ut deinde iidem fructus in redemptionem æris alieni, ac satisfactionem missarum, aliorumque onerum hujusmodi, quibus eædem domus gravatæ existunt, cedant, reliqui vero dumtaxat in pios usus, ut præfertur, convertantur. Volumus etiam ædes ipsas canonicales una cum adnexis ecclesiis in eos usus pios, qui spirituale animarum Christifidelium bonum, ac divini cultus augmentum respiciunt, si id necessarium existimabitur, occupandas esse; si autem earumdem ecclesiarum, ac domorum conservatio utilis non erit, illarum profanatio, ac onerum translatio expostulari poterit, ut deinde omne perceptum in alios pios usus, ut cætera bona prædicta erogetur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit, quorumcumque testatorum, qui missarum, aliorumque onera in ecclesiis dictarum aedium canonicalium adimplenda reliquerunt etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non apostolicis, ac in universali-

bus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac ordinis, et ædium canonicalium prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis, quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 14 martii 1780 Anno VI.

## CCLIV.

Impositio subsidii super bonis ecclesiasticis ad erigenda reclusoria pro pauperibus.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. In supremo curæ pastoralis munere, quod nullis Nostris meritis, sed divina ope freti sustinemus nihil magis curandum esse censemus, quam ut periclitantium animarum saluti, et personarum, quæ necessario auxilio sunt destisutæ, commoditati quantum cum Domino possumus, ubique consulamus, quæ quidem paternæ charitatis officia, ita cum suscepta administratione sunt conjuncta, ut ea functionis Nostræ propria esse sentiamus: quoties igitur opitulandis miseris, sublevandis egenis, solandis afflictis, piis denique promovendis operibus ad pravam maxime illorum cupiditatem avertendam, qui dissidem, ac otiosam vitam ducentes, veros pauperes frustrantur apostolatus Nostri officium requiritur, auctoritatis Nostræ partes libenter interponere, benedicente Domino, non detrectamus.

Exponitur tenor precum porrectarum.

§. 2. Cum itaque Nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici expositum fuerit, quod ipse pro sua singulari pietate dirigens vigiles considerationis suæ intuitus in orphanos, pupillos, pauperesque denique omnes suorum regnorum, qui etiam, vel inviti petunt, aut verecunde accipiunt, sed accipientes glorificant patrem, qui in cœlis est, erigere decrevit in qualibet suarum ditionum diœcesi reclusorium, aut reclusoria Misericordiæ domum nuncupandam, in quo, vel quibus, et veri alantur pauperes, et spirituali eorum bono consultum sit, ac insuper ubi talia reclusoria sint erecta eorum congruæ dotationi providere; aut si ea erigi non possint, aut in erectis recludi omnes pauperes non oporteat propter aliquam conditionem, et qualitates ipsorum solamen variis mediis stabilire, et promovere. Viros tamen sui regii ærarii tot gravissimis sumptibus pares minime sint, et hinc aliquo subsidio ex bonis ecclesiæ juvari plurimum desideret.

Clausulæ, et conditiones, quibus concessio indulgetur.

§. 3. Nos ideo ipsius Caroli regis votis favorabiliter annuere cupientes, motu-proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eidem regi catholico, ut adhibito ordinariorum consilio, aut alterius gravis, et probati viri in ecclesiastica dignitate constituti percipere possit quotannis aliquam partem fructuum ex præposituris, canonicatibus, præbendis, dignitatibus etiam post pontificalem majoribus in cathedralibus, et collegiatis, cæterisque beneficiis ecclesiasticis quocumque nomine nuncupentur in ejusdem Caroli regis ditione existentibus, et in posterum vacaturis, dummodo ad ejus nominationem, seu præsentationem conferantur, aut sint ex numero eorum, qui vigore concordati apostolici in aliquot casibus, et temporibus ad eumdem regem catholicum illorum nominatio, aut præsentatio spectat, quamvis pro illa vice electioni, aut nominationi ordinarii subjaceant, concedimus, et indulgemus. Volumus autem, quod episcopatus omnes, nec non beneficia curam animarum habentia censeri debeant exempta, prout tenore præsentium perpetuis futuris temporibus eximimus, et liberamus: salvis juribus, et consuetudinibus, quoad pensiones super iisdem episcopatibus

imponi solitas auctoritate Sedis apostolicæ ad nominationem ipsius regis catholici, earumque applicationibus, et distributionibus. Ac insuper, quod pars fructuum ex beneficiis, ut supra percipienda quotannis debitam congruam nunquam imminuat, quam quidem pro canonicatibus, et præbendis, aliisque beneficiis in duabus ex tribus partibus constitutam perpetuo volumus, ita tamen, ut non minor sit pro beneficiis residentialibus, quam in summa ducentorum ducatorum auri de camera, et pro simplicibus denique in ducatis centum pariter auri de camera, sicque apostolica auctoritate præcipimus, ac mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis existant inviolabiliter observari, et adimpleri debere, neque ex eo quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quamtumvis justa, legittima, pia, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quamtumvis formali, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu intentato, aut etiam motuproprio, et de apostolicæ potestatis plenitudine concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare unquam posse, sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et apostolicæ Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus, et singulis præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. prædecessoris Nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum collegiatarum, cathedralium beneficiorum hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis, capitulis, beneficiis, etiam in limine fundationis, et erectionis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, nec non ultimis voluntatibus, ac piis dispositionibus quorumcumque testatorum, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac amplissime, et plenissime derogatum esse volumus, cæterisque in contrarium quibuscumque. Aut si prædictis, vel aliis quibuscumque communiter ab eadem Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Decernitur observantia decreti concilii Viennensis circa res divino cultui dicatas.

§. 6. Cæterum volumus pariter, ut juxta felicis recordationis Clementis pp. V. prædecessoris quoque Nostri in concilio Viennensi editam constitutionem calices, libri, cæteraque ornamenta ecclesiarum, seu cathedralium, collegiatarum, ac beneficiorum divino cultui dicata, aliave suppellex ecclesiastica

causa pignoris, vel alias occasione exactionis, et solutione contributionis, subsidiique hujusmodi nullatenus occupentur, atque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii anno millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 22. aprilis 1780 Anno VI.

## CCLV.

Monasterio sancti Spiritus Elchingensi Augustanæ diœcesis ordinis sancti Benedicti congregationis Augustanæ, ejusque monachis communicantur omnia privilegia spiritualia dumtaxat, quæ congregationi Cassinensi reperiuntur concessa.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Creditæ Nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ monasticæ instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio, proferre jugiter satagentium curam gerentes facilioribus eorum in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus abbas, et monachi monasterii sancti Spiritus Elchingensis ordinis sancti Benedicti congregationis Augustanæ diœcesis Augustanæ provinciæ Moguntinæ, quod, ut regularis observantiæ, quæ per Dei gratiam in eodem monasterio viget, lætioribus in dies proficiat incrementis, ipsi monasterio, ejusque monachis privilegia, quæ congregationi Cassinensi monachorum ordinis prædicti ab hac sancta Sede concessa sunt, communicari plurimum desiderant. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, prædicto monasterio sancti Spiritus Elchingensi, ejusque monachis, et omnibus privilegiis spiritualibus dumtaxat, quæ dictæ congregationi Cassinensi reperiuntur concessa, pariformiter uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima secunda aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 2. maii 1780 Ann. VI.

## CCLVI.

Prævia evocatione causæ inter abbatem conventualem, et monachos monasterii Cryptæ Ferratæ ex una, et abbatem commendatarium ex altera partibus vertentibus reservatur favore prædictorum abbatis conventualis, et monachorum pensio scutorum biscentum a commendatario pro tempore in perpetuum persolvenda.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Status controversiae exponitur.

§. 1. Pertinet ad Romanum pontificem, si quæ lites, et controversiæ, præsertim inter ecclesiasticos homines, existant, eas prorsus elidere, et quoad fieri potest, radicitus evellere. Diu autem est, cum anceps controversia abbatem commendatarium sanctæ Mariæ de Crypta Ferrata Tusculanæ diœcesis, ac illius monasterii monachos Basilianos exercet. Quæ item ab initio non præfocata, minime se inter domesticos cancellos tenuit, sed in forum denique erupit. Est autem hujusmodi postquam Pius II. prædecessor Noster anno MCCCCLX. celeberrimum istud monasterium, (quod deinceps Benedictus XIV. alius prædecessor Noster sua constitutione, quæ incipit = *Inter multa* = pridie nonas aprilis MDCCXLVII. ornavit, auxitque privilegiis ) Bessarioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali primum commendavit, una mensa indiscriminatim abbas commendatarius, ac monachorum cœtus utebatur; ac post aliquod tempus in ea mensæ communitate vix alteri parti cum altera conveniebat. Etenim de sumptibus faciendis sæpe quæstio nascebatur, cum plus oneris non raro ad abbatem commendatarium monachi, contra vero ad monachos abbas commendatarius reiiceret; sed anno MDVII. de concordia cogitari cœptum est. Neque frustra cecidit labor. Nam eodem illo anno MDVII. Joannes tituli sanctæ Mariæ in Aquiro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Columna abbas commendatarius, et Lucas Mirulla prior, sive abbas monachorum inter se ita transegerunt, ut monachi assignationem retulerint suæ distinctæ, ac separatæ mensæ conventualis. Rursus autem iidem monachi a felicis recordationis eodem prædecessore Nostro Benedicto XIV. super illius commendati monasterii fructibus certis, et incertis, qui ad quatuorcentum florenos auri in libris cameræ apostolicæ, uti accepimus, taxati sunt, consentiente bo. mem. Joanne Antonio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali Guadagni tunc urbis vicario, et abbate commendatario prædicti monasterii pensionem annuam omnino immunem, et exemptam ducentorum aureorum monetæ Romanæ, ad decennium tantum duraturam, et per eosdem pro tempore existentes ipsius monasterii abbatem, et monachos pro monasterii ædificiis, et reparationibus necessariis erogandam, nec in alios usus convertendam impetrarunt. Quam quidem pensionem postea felicis recordationis prædecessor Noster Clemens XIII. pontifex maximus bis in eamdem causam ad duo alia decennia prorogavit, seu noviter reservavit. Nuper vero cum hujus pacti conventi tempus ad finem accederet, quasi exacto induciarum tempore rursus abbas, et monachi innixi præsertim duabus constitutionibus, quarum prima Leonis X. prædecessoris Nostri incipit = *Supernæ dispositionis arbitrio* = dat. iii nonas maii MDXIV. qua sancitum fuit, ut commendatarii monasteriorum habentium distinctam, ac separatam mensam conventualem tenerentur quotannis erogare quartam partem suæ mensæ abbatialis pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus, et paramentis emendis, sarciendisque, aut pauperum alimonia, et substentatione, ut major exiget, et suadebit necessitas: altera felicis itidem recordationis Gregorii XIII. incipit= *Benedictus Dominus* = dat. kal. novembris MDLXXIX., qua de omnibus monasteriis monachorum ordinis sancti Basilii commendatis jussa distinctione, quæ nondum facta fuisset mensæ conventualis, ab abbatiali, commendatariis reliquit onus, prout teneantur monasteriorum, et ecclesiarum eorumdem reparationi, ac aliis in divinum cultum necessariis providendi; iisdem igitur constitutionibus communiti litem instaurarunt adversus venerabilem fratrem Nostrum Karolum episcopum Portuensem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Rezzonicum camerarium, et abbatem commendatarium ejusdem monasterii, a quo tamen se plurimis beneficiis cumulatos profitebantur; sed præferebant, non licere sibi de eo jure quidquam remittere, quod sibi instantibus necessitatibus competebat cogendi pro tempore abbates commendatarios ad erogationem quartæ partis eorumdem mensæ abbatialis in

usus a supradictis constitutionibus indicatos.

Memorantur acta judicialia, quae in causae prosecutione locum habuerunt.

§. 2. Itaque primum ad auditorem cameræ Nostræ apostolicæ generalem, sive ad alterum ex ejus locumtenentibus adducta lis est: ab eoque cum non satis definita fuerit, hinc ad sacræ Nostræ Rotæ tribunal gradus est factus coram dilecto filio magistro Ludovico Flanginio, altero ex ejusdem Rotæ auditoribus, et proposita fuit causa in consilio, sive turno, uti dicitur, ordinario die xviii junii 1778. quo die cum suffragia non convenissent, oportuit quintum, et sextum ex auditoribus assumi ad judicandum; et propterea die viii martii MDCCLXXIX. iisdem quinto, et sexto videntibus iterum proposita causa fuit; sed tum quoque paria hinc inde suffragia extiterunt, ut novissime die xxviii januarii proxime lapsi causa in consilium auditorum omnium, qui tunc adfluerunt, adducta fuerit: et videntibus omnibus resolutio emanavit, quo monachi in litis dimicatione superiores evaserunt, cum ex eadem resolutione sibi competeret jus cogendi cardinalem commendatarium ad subministrandas expensas pro restauratione ecclesiæ, et monasterii, ac manutentione sacrarum supellectilium, urgente necessitate.

Causam avocat Pontifex a tribunali s. Rotae, illamque componit auctoritate sua.

§. 3. Propterea huc re perducta, visum denique tempus est, quo Nos oporteat apostolica Nostra auctoritate hujusmodi gravem, atque ancipitem controversiam prorsus dirimere, ejusque radices, ac fibras omnes evellere, ut qui divino cultui omnino addicti esse debent, forensibus concertationibus non implicentur. Igitur motu proprio non ad earumdem partium, vel aliorum quorumvis pro eis Nobis super hoc oblatam petitionem, atque ex certa scientia, et matura deliberatione, deque apostolicæ potestatis plenitudine, prævia antedictæ controversiæ avocatione a Rota, et a quovis alio tribunali, ejusque omnimoda suppressione, et extinctione etiam de consensu prædictorum venerabilis fratri Nostri Karoli episcopi Portuensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis camerarii, et perpetui commendatarii prædicti monasterii, atque illius modernorum abbatis generalis, et monachorum, volumus, et mandamus, ut in posterum perpetuis quibuscumque temporibus de fructibus, proventibus, et redditibus certis, et incertis mensæ abbatialis commendatæ, ut supra taxatis, illius abbati regulari, et monachis reservata sit, et intelligatur pensio annuorum scutorum ducentorum monetæ Romanæ, quæ ab ultima solutione, seu termino cessatæ consimilis temporalis pensionis initium sumat, eaque ab omni decima, quarta, media, et alia quavis fructuum parte, aliisque quibusvis oneribus, et impositionibus ordinariis, et extraordinariis ex apostolica Nostra auctoritate, et motu pari, et ex certa scientia, etiam pro reparatione, et fabrica basilicæ Principis apostolorum de urbe, et ex qualibet alia causa quamtumvis pia, privilegiata, et speciali nota digna, libera, immunis, et exempta, per modernum dicti monasterii abbatem, seu perpetuum commendatarium, aliosque pro tempore in futurum existentes commendatarios annis singulis hic Romæ, aut alibi, ubi magis dicti monasterii abbati, et monachis placuerit, duabus æqualibus solutionibus, pro una videlicet in sancti Joannis Baptistæ, ac altera in Domini Nostri Jesu Christi nativitate præstanda, hac tamen adjecta lege, ut eadem perpetua pensio scutorum ducentorum monetæ Romanæ per abbatem, et monachos prædictos pro ejusdem monasterii, et ecclesiæ ædificiis, et reparationibus, sacra supellectili, vestibus, paramentis, aliisque in ecclesia ad divinum cultum necessariis erogetur, nec aliter, nec alio modo. Commendatarii vero, modernus, et pro tempore existentes, soluta hujusmodi pensione annuorum scutorum ducentorum ad aliam quamcumque præstationem abbati, et monachis prædictis, eorumque conventui, aut monasterio faciendam per ipsos cogi nequeant, quacumque actione judiciaria, ex causa, seu eorum alimoniæ, et congruæ parochi regularis, seu reparationis ædificiorum monasterii, et ecclesiæ, seu paramentorum, aliorumque necessariorum ad divinum cultum, seu denique ex quavis alia causa hic etiam non expressa, aut de præterito, aut de præsenti, aut similiter de futuro. Volumus præterea, et mandamus, ut quidquid a prima instantia coram A. C. usque ad postremam propositionem in tribunali ejusdem Rotæ die xxviii januarii præteriti in agitanda lite utrinque adhuc expensum, atque æstimatum fuit, utrinque pariter condonetur.

Praecipitur observantia praesentis constitutionis etiam per clausulas irritantes.

§. 4. Decernentes præsentes literas Nostras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit

in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios; et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis omnibus derogatur.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, ac felicis recordationis prædecessorum Nostrorum Leonis pp. X. anno MDXIV.; et Gregorii XIII. anno MDLXXIX. prædictis, aliisque apostolicis etiam in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, statutis, et consuetudinibus etiam longævis, et immemorabilibus, usibus, indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis, resolutione prædicta auditorii Rotæ coram dilecto filio magistro Ludovico Flanginio, et anterioribus etiam judicatis quibuscumque tribunalis A. C., et cujuscumque alterius judicis, et tribunalis; quibus omnibus, cæterisque contrariis quibuscumque, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita servata, inserti forent, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialier, et expresse derogamus; eaque respective, quatenus præsentibus Nostris literis quomodolibet adversari comperiantur, irritamus, revocamus, et abolemus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda maii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

## CCLVII.

Dat. die 10 maii 1780 Anno VI.

Indultum, ut Christifideles diœcesis Lausonensis quibusdam statis festivis diebus operibus servilibus vacare possint.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expenuntur rationes, quæ concessionem suadent.

§. 1. Cum, sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt rationi convelli, ita multa sint, aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari; illa semper consideratione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum, ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate quoad integrum sibi fuerit, convenit supremam suam in his auctoritatem interponere, quæ cœteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitate ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiæ angore contemnuntur. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis nuper expositum fuit in civitate, et diœcesi Lausonensi adeo excreverunt calamitates, et angustiæ, ut quam plurimis locorum jurisdictionis prædictæ hominibus, qui manu, ac labore in sudore vultus vescentes pane suo obtenta alendæ vitæ necessitate diebus festis de præcepto vetitis laboribus aditum jam late aperuerunt, si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus operibus abstineant, ad vitam lucro substinendam, haud quaquam tempus sufficiat, ac propterea Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de auctoritate apostolica dignaremur.

Tenor indulti.

§. 2. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per serviorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares

personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut deinceps exceptis omnibus diebus Dominicis, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequentibus, sancti Stephani, et sancti Joannis apostoli, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti itidem diebus; nec non Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Corporis Christi, sancti Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, et commemorationis omnium sanctorum, præterea quinque dicatis beatæ Mariæ Virgini immaculatæ, nempe Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus festivis, sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales diœcesis hujusmodi constitutiones, sive quacumque alia etiam voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, causa præceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint auctoritate Nostra prædicta concedas, indulgeas, atque permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non diœcesis hujusmodi, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, et aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima maii anno millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLVIII.

Dat die 10 maii 1780 Anno VI.

Plenipotentia ad concludendum quemdam tractatum cum oratore regis christianissimi super redemptione cartharum lusoriarum in comitatu Avenionensi.

Dilecto filio Nostro Lazzaro Opitio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Pallavicini nuncupato secretariæ Nostræ status ecclesiastici secretario.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem et apostolicam benedictionem

Tenor motus proprii pro constituendo procuratore ad tractatum ineundum.

§. 1. Cum pro singulari illa, ac prorsus paterna, qua universos Romanæ Ecclesiæ dominii, totiusque ditionis ecclesiasticæ subditos complecti pergimus, charitate, nihil Nobis magis cordi sit, quam ut ad eorumdem subditorum levamen, quietem, utilitatemque quidam tractatus super redemptionem cartharum lusoriarum comitatus Nostri Avenionensis inter cameram Nostram apostolicam, ac carissimum in Christo filium Nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum suscipiantur, inietur, et terminetur. Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, te, de cujus fide, prudentia, integritate, et in rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, super tractatu hujusmodi proponendo, ac debito fine concludendo, in Nostrum, et dictæ Sedis plenipotentiarum tenore præsentium nominamus, constituimus, et deputamus, tibique, ut Nostro, et dictæ Sedis nomine una cum venerabili fratre Nostro Francisco Joachimo ejusdem Sanctæ Ro-

manæ Ecclesiæ presbytero cardinali de Pierre de Bernis nuncupato episcopo Albanensi, et ejusdem Ludovici regis apud Nos, et Sedem prædictam oratore ad hæc electo, et nominato, et sufficienti mandato itidem munito super redemptione cartharum lusoriarum hujusmodi agere, tractare, et concludere libere, et licite possis, et valeas plenam, et amplam facultatem harum serie concedimus, et impertimur.

Clausulae irritantes, et contrariorum derogatio.

§. 2. Decernentes validum, et efficax fore quidquid earumdem vigore præsentium tu egeris, tractaveris, et concluseris, id omne, quantum in Nobis est acceptum, gratum, firmumque, ac ratum habere, nec non observare, complere, et exequi in verbo Romani pontificis promittentes. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima maii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 11. maii 1780 Anno VI.

## CCLIX.

Definitio controversiæ de pertinentia protectionum cappellæ ad Præsepe in basilica sanctæ Mariæ Majoris, et collegiorum sancti Bonaventuræ, et Montis Alti Bononiæ.

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

§. 1. Romanum decet pontificem iis præsertim cognoscendis, finiendisque causis operam dare, quæ inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales ob divini cultus, studiorumque rationem aguntur; ac æque par est, ut cum illæ ex apostolicis suorum decessorum literis sint exortæ, ac sæpius in contentionem deductæ, ad ipsum tamquam ad fontem, unde manarunt, revocentur; quo tandem fiat, ut initiis suis exitus plane consentiant.

Status controversiæ exponitur,

§. 2. Cum itaque obitu cardinalis Alexandri Albani instaurata nuper fuerit inter tres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, nimirum venerabilem fratrem Nostrorum Joannem Franciscum Albanum episcopum Ostiensem, et Veliternensem, ac dilectos filios Nostros Marium tituli sancti Augustini Marefuscum, et Innocentium tituli sancti Silvestri in Capite de Comitibus quæstio super pertinentia *protectionum* tum cappellæ ad Præsepe Jesu Christi in basilica sanctæ Mariæ Majoris, tum collegii sancti Bonaventuræ in conventu sanctorum XII. apostolorum de urbe, tum collegii Montis Alti in civitate Bononiæ, quas felicis recordationis Sixtus pp. V. prædecessor Noster suis apostolicis literis datis v id. junii et non. octobris anni 1586. ex xv kal. decembris anni 1588. certis quibusdam legibus constituit; Nos considerantes, hujusmodi quæstiones in singulis fere *protectionum* vacationibus excitatas dirimi hactenus nequivisse judiciis particularium congregationum, et Rotæ auditorii, pro personarum, et rei dignitate duximus causam ad Nos avocare, eamque omnibus sedulo perpensis juribus, ac rationum momentis a memoratis cardinalibus ad Nos scripto delatis, et in consilium adhibitis tribus dilectis filiis præstantibus consistorii Nostri advocatis, in quos ob publica, quibus unice funguntur, munera, ulla cadere potest privati studii suspicio, iisque concordibus animis cum Nostro antea percepto, et intra Nos retento judicio consentientibus, ita definire decrevimus, ut nedum præsenti, sed futuris etiam controversiis prospiceretur.

Memorantur ordines protectorum constituti a Sixto V.

§. 3. Et quoniam res tota a Sixti voluntate pendet, opus est, ut illam singulariter in causa judicanda spectemus. Tres fuerunt a pontifice constituti ordines protectorum, quorum alterum alteri substituit, ut ex literis, quas modo memoravimus, aperte dignoscitur. Nam ex hac vita decedens cardinalis Alexander Perettus suus ex sorore pronepos, in quem tres *protectiones* Sixtus cumulaverat, vocavit primo *antiquiorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem*, vel ex *nostra familia* tantum, ut in erectione collegii sancti Bonaventuræ, vel ex *nostra familia et parentela*, ut in aliis duabus erectionibus factum est. Hisce autem deficientibus, vocavit secundo *antiquiorem cardinalem ex provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum*; et eo denique non extante, vocavit tertio in defensorem cappellæ *primum presbyterum cardinalem pro tempore existentem*, in defensorem collegii sancti Bonaventuræ *protectorem ordinis minorum Conventualium*, et in defensorem collegii Montis Alti alium cardinalem, quem *rector, et scholares* duxerint eligendum, hac tamen adjecta lege quoad cappellam, *ut licet nullo existente Nostri*

*sanguinis cardinale, alius ad id, ut præfertur, vocatus cardinalis munus protectoris hujusmodi obire, et exercere incœperit, nihilominus si postmodum contingat, aliquem Nostræ familiæ, et parentelæ ad cardinalatus honorem assumi, is in ejusdem muneris functione præferri debeat, et constitutio, et deputatio cujusvis alterius in protectorem hujusmodi facta eo ipso cessare, et exspirare debeat.*

Dividuntur capita subortæ controversiæ.

§. 4. Hac præcognita pontificis voluntate ad duo capita redigi potest triangularis, quæ nuper orta est, concertatio, ad *parentelam* nimirum, et ad *originem* ex provincia Marchiæ Anconitanæ. Nam cardinalis Innocentius de Comitibus uti consanguineus dilecti filii nobilis viri ducis Francisci Sfortia descendentis a fœmina de familia Peretti contendit se in *primo* vocatorum ordine contineri quoad *protectionem* tam cappellæ ad Præsepe, quam collegii Montis Alti ad quas antiquior cardinalis vocatur *ex Nostra familia, et parentela.* Contra vero cardinalis Joannes Franciscus Albanus ex Nostra Urbini civitate oriundus duabus hisce *protectionibus* ultro remissis, contendit, se esse in *secundo* genere vocatorum quoad *protectionem* collegii sancti Bonaventuræ, quæ cum in prima sede ad solos cardinales de Nostra familia fuerit coercita, cumque familia Peretti jam omnis defecerit, sibi unice tamquam *cardinali antiquiori provinciæ Marchiæ* Anconitanæ oriundo debeatur. Tandem cardinalis Marius Marefuscus Maceratæ natus, putat has tres *protectiones* sibi dumtaxat esse adjudicandas cum neget cardinalem de Comitibus esse Sixti V. consanguineum, et cardinalem Albanum esse ex provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum.

Agitur de primo controversiæ capite.

§. 5. Ut itaque seorsim agatur de utroque controversiæ capite, ad *parentelam*, quod attinet, utique cæteris esset præferendus cardinalis de Comitibus, si is ex familia Peretta, et ex sanguine Sixti V. descenderet: at quoties ab eadem familia, nec per mares, nec per fœminas originem trahit, nulloque proinde, ut ipse agnoscit cardinalis, sanguinis vinculo eidem familiæ, et pontifici jungitur, sed tantum per medium fœminæ Victoriæ de Comitibus amitæ suæ nuptæ duci Cajetano Sen. Sfortia, consanguineus est ducis Francisci, sane ejus postulatio locum non tam habet, si *nostræ familiæ* vocabulum, quam si *parentelæ* nomen spectetur. Quamvis enim familiæ significatio varie accipi possit, et eo nomine non agnati solum, sed etiam cognati, immo gener, et nurus aliquando comprehendantur, communi tamen, et proprio jure *familia* indicat agnatos, et illi ejusdem familiæ appellantur, qui ex eadem domo, et gente sunt. Porro dubium non est, quin propria, et communi significatione fuerit a Sixto V. *familiæ* nomen usurpatum, nam semel ac vocavit ipse primo loco cardinales *de nostra familia*, ex propria vi illius possessivi = *Nostra* = idem est, ac si addito cognomine, vocasset cardinales de familia, et agnatione Peretta, ab eodem pontifice in descendentia sororis instaurata, ut alias declaratum est in constitutionibus collegii sancti Bonaventuræ a cardinali Alexandro Peretti de mente ipsius pontificis editis, et ab eodem in specifica forma confirmatis, et ut re plene discussa in lite acta anno 1671 inter cardinalem Paulum Sabellum, et Decium Azzolinum definitum est a Nostro Rotæ auditorio.

Prosequitur disquisitio ejusdem materiæ.

§. 6. Neque majus aderit cardinali de Comitibus præsidium ex latiori illo vocabulo *parentelæ.* Ii siquidem inter se consanguinei appellantur, et sunt, qui ab eodem sanguine proficiscuntur. In his censentur cardinales omnes cognati, et descendentes ex fœminis, qui in priori familiæ appellatione, minime continebantur; sed non censentur, nec censeri possunt ii, qui a sanguine familiæ non descendunt, ac propterea non sunt ipsi familiæ consanguinei. Non enim pontifex vocavit cardinales de parentela hæredum, et successorum, aut consanguineos consanguineorum, sed consulto, atque iterato vocavit de Nostra *parentela* cardinales, habita relatione *ad se ipsum*, ex qua sicuti ambigi non potest, quin soli fundatoris consanguinei fuerint honorati, ita ambigendum non est reliquos omnes exclusos fuisse; quamvis enim isti possint esse successorum, et hæredum consanguinei, extranei tamen sunt quoad fundatorem, cujus persona debet spectari. Idque fit evidentius ex aliis etiam pontificiæ dispositionis partibus, ubi *substitutos* ad *protectiones* admittendos esse edixit, *nullo existente nostri sanguinis cardinale*, et ubi tertio in cappella sepulchrum *pro nostris dumtaxat consanguineis* sepeliendis assignavit. Quæ quidem omnia optime declarant diversos esse nequivisse cardinales de nostra familia, et parentela, quam cardinales nostri sanguinis; immo in ore, et mente pontificis ea vocabula fuisse synonyma.

Erectionis natura melius explicatur, collatis literis Sixti V.

§. 7. Nec secus significavit pontifex, ubi in iisdem literis erectionis cappellæ ad Præsepe, deficientibus lineis masculinis, et fœmininis primum Michaelis, deinde aliorum omnium ex sua sorore pronepotum, substituit in jurepatronatus cappellæ, ejusque cappellaniarum *eum*, *qui nobis fuerit sanguine proximior*. Ideo enim hæc postrema substitutio, a qua argumentum trahitur ad *protectiones*, porrigi contenditur ad consanguineos consanguineorum, quia supponitur post extinctas memoratas lineas masculinas, et fœmininas pronepotum ad juspatronatus vocatas, neminem superesse potuisse ex pontificis sanguine, ac proinde substitutionem eamdem ne otiosa dicatur, aptari consanguineorum consanguineis oportere. At hujusmodi interpretationi verba resistunt, et facta: latere pontificem non poterat *parentela* sua; quapropter si vere nulli sibi fuissent consanguinei præter descendentes suorum ex sorore pronepotum, non utique eis in jurepatronatus substituisset illum, qui *sibi* esset *sanguine proximior*. Impropria loquutio, ac falsa demonstratio si nemini, eo sane minus adscribendæ sunt pontifici maximo de re familiari sibi notissima loquendi. Exhaurivit ipse quidem in vocatione successorum ad juspatronatus cappellæ universam descendentiam suorum ex sorore pronepotum, omnesque proinde exhaurivit consanguineos suos *de lineis contentivis proximis, et inferioribus*; sed cum idem non fecerit, quoad alios suos consanguineos linearum transversalium superiorum, tam ex latere patris, quam ex latere matris, qui *lineas contentivas remotas* efformabant, hos profecto, qui vere de ipsius sanguine erant, putandum est pontificem invitasse ad juspatronatus in postrema substitutione illius, *qui fuerit nobis sanguine proximior*. Revera memoriæ proditum est a scriptoribus fide dignis, et publicis etiam comprobatur monumentis patrem Sixti V. plures habuisse sorores pluribus nuptas familiis, aliosque eidem pontifici non defuisse consanguineos, quos inter Nostrum Rotæ auditorium in præfata lite anni 1671. recognovit ipsummet cardinalem Andream Baronum ex provincia Marchiæ, qui post mortem cardinalis Alexandri Peretti *in protectionibus nunc controversis successit*.

Exceptiones con variæ diluuntur.

§. 8. Quidquam obesse nec potest, agi de dispositione perpetua, et de materia favorabili: nam efficit id quidem, ut quot sunt, aut esse possunt veri consanguinei pontificis, ii quovis in gradu sint, omnes admittantur; sed efficere minime potest, ut ii admittendi sint, quos litera non comprehendit.

Agitur de altero controversiæ capite.

§. 9. Alterum controversiæ caput in eo versatur, num *Urbini civitas*, ex qua originem ducit cardinalis Joannes Franciscus Albanus, sit intra fines provinciæ Marchiæ Anconitanæ, ita ut is haberi debeat *pro antiquiori cardinali ex provincia Marchiæ Anconitanæ oriundo*, quem secundo loco pontifex ad memoratas *protectiones*, invitavit. Paucis tamen quæstio ista absolvitur. Relicta enim disputatione de finibus *antiqui Piceni*, ac de ejus *Pentapoli*, quam in exordio alterius controversiæ egit lucubratio pro jamdiu defuncto cardinali Annibale Albani occasione inferius memorandæ litis evulgata, et inscripta = *status geographicus Marchiæ Anconæ pro intelligentia textus trium Bullarum pontificis Sixti V. super antiquiori cardinali Marchiæ vocato ad protectionem cappellæ Sixtinæ in basilica s. Mariæ Majoris, et duorum collegiorum Montis Alti Bononiæ, et s. Bonaventuræ urbis edit. Rom.* 1726.; illud profecto extra controversiam est positum provinciam Marchiæ Anconitanæ jam inde ab eo tempore, quo provincia est constituta, ad Nostram æternam usque, fuisse semper re, legibus, juribus, consuetudinibus, privilegiisque distinctam, ac separatam ab Urbini civitate, ejusque ducatu, si solæ Ægidianæ constitutiones excipiantur; quæ quidem ea una de causa in Urbinatensi ducatu viguerunt, dum cardinalis Ægidius legati munere fungebatur, quia idem cardinalis tamquam vicarius *generalis papæ* omnimoda auctoritate pollebat in universa ecclesiastica ditione. Cæterum legati omnes, qui Ægidium antecesserunt, aut sunt consecuti, se se subscripserunt distincto illius legationis nomine, quam obibant, et rectores *Marchiæ*, *Spoleti*, *Urbini*, aliarumque provinciarum fuerunt nuncupati, ut vetera, et recentiora diplomata testantur, et concors est geographorum, aliorumque scriptorum sententia, si pauci demantur, qui rerum ignari in errorem prolapsi sunt, vel quia divisiones spectarunt provinciarum, quæ a religiosis viris pro libitu fiunt, vel quia spirituales diœcesum fines cum temporalibus miscuerunt.

De eadem re agitur.

§. 10. Id clarius evincitur, si tempora spectentur, quibus pontifex hasce *protectiones* instituit. Tunc enim *Marchiæ Anconitanæ provincia* pleno do-

minio sanctæ Sedis, et Romani pontificis suberat; Urbinum vero non item. Constat enim ducatum illum multis ante Sixtum annis concessum a sancta Sede fuisse familiæ de Rovere per formalem, ut ajunt, infeudationem cum pleno imperio, regalibus, et iure principatus, illiusque potestati paruisse. Quæ si advertantur, planum est, Urbini civitatem, et ducatum, qui tunc ex provinciis apostolicæ Sedi immediate subjectis non erat, his verbis = *ex provincia Marchiæ Anconitanæ* = comprehendi minime potuisse. Juris enim est non ambigui, verba intelligenda esse secundum tempus, quo fuerunt prolata; eo vel magis quia cum idem pontifex fundavit, erexitque collegium Montis Alti, ita nuncupatum ex loci nomine ubi is natus fuerat, diserte declaravit, illud ab se erectum, fundatumque fuisse, ut consuleret *locis temporali Nostræ ditioni subjectis*, utque *provinciæ Nostræ Anconitanæ* prospiceret, ac transiens subinde ad cardinalem ejusdem collegii protectorem invitavit post cardinales consanguineos, *cardinalem ex dicta provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum*; quibus sane verbis ducatum Urbinatensem, et Urbinates temporali ditioni tunc non subjectos, fuisse dilucide exclusos facile est intelligere. At vero ambigi nequit, quin Sixtus V. in omnibus iis dispositionibus, in quibus Marchiam Anconitanam nominavit de una, eademque provincia semper fuerit locutus.

Conclusio circa modum intelligendi literas apostolicas de re latas ab eodem Sixto V.

§. 11. Sed pluribus opus non est, semel ac constat, Marchiæ Anconitanæ provinciam ab Urbini ducatu habitam ab eodem pontifice fuisse pro distincta, et separata. Constat enim ex literis apostolicis datis idib. martii 1589. pontificem Sixtum erexisse Rotæ tribunal in civitate Maceratæ *pro felici regimine provinciæ Nostræ Marchiæ*; et huic quidem cuncta provinciæ loca submisisse, sed non item partem ullam Urbinatensis ducatus, cum illum extra Marchiæ provinciam situm esse censuerit. Monstrant item aliæ ejusdem pontificis apostolicæ literæ datæ ix kalend. junii 1589. ecclesiam episcopalem Firmanam tot prærogativis illustrem fuisse ab ipso erectam in ecclesiam archiepiscopalem, eo quod *in provincia Marchiæ nulla esset metropolis ecclesia*: id autem nec asseruisset pontifex, nec asserere revera potuisset, si ducatum Urbinatensem ex ea putasset provincia: nemini enim melius quam ei notum erat Urbinatensem ecclesiam ante annos viginti quinque, scilicet anno 1563. in metropolim erectam a Pio IV. felic. record. pontifice fuisse. Quo in loco prætereunda non sunt ea, quæ in iisdem literis consulto addidit Pontifex, dum ait = *quemadmodum Firmum Picenum olim nominabatur, ita aliis temporibus Marchiam Firmanam vocatam fuisse, quod Firmum primaria civitas in dicta provincia existeret* = hisce enim animadversis planum est, ab eo usque tempore desiisse distinctionem inter Marchiam Firmanam, et Anconitanam, et tum Firmum, tum alia totius provinciæ loca non per extensionem, sed proprio, et communi usu sub uno provinciæ Marchiæ Anconitanæ vocabulo comprehensa fuisse.

Excluditur contraria possessio et consuetudo

§. 12. In tanta rei luce, si qua possessio, aut consuetudo ab Urbinatibus afferri posset in medium, ea spectanda non esset: jus enim clarum vincit causam possessionis, et quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine est invectum, id diutius servari non decet. Cæterum observantia Urbinatibus magis obest, quam prosit. Nam Urbinum, ejusque ducatus etiam post illius devolutionem ad sanctam Sedem, non secus atque antea, remansit ab omni alia provincia disjunctus, ita ut cum provincia Marchiæ Anconitanæ nihil omnino habeat commune. Ad *protectiones* vero quod attinet, eas obtinuit quidem omnium primus cardinalis Gaspar de Carpineo, mox cardinalis Hannibal Albanus, tandemque cardinalis Alexander ex eadem Albana familia, omnes ex Urbino oriundi; at primus si duas ex illis obtinuit anno 1689., id nonnisi ex transactione factum est, inter ipsum inita, et cardinalem Petrum Matthæum Petruccium Æsinatem, qua fuit cautum, ut *protectiones* dividerentur inter eos cum lege reversionis favore superstitis, hac insuper adjecta declaratione, ut nullum ex hoc placito illatum censeretur hodiernæ, tunc etiam promotæ quæstioni præjudicium; quo fit, ut hæc privata, et circumspecta conventio afferri in exemplum non queat. Alii vero cardinales duo per id temporis *protectiones* obtinuerunt, quo nullus aderat ex provincia Picena cardinalis, tacentibus cæteris in eum casum substitutis, quorum proinde silentium nocere non posse successoribus in tertio hoc ordine comprehensis, et ex jure proprio venientibus est exploratum.

Memoratur in observantia judicialis in seu-

§. 13. At præteriri non debet, cardinalem Annibalem Albanum, suscepta

su penitus diverso.

antea lite cum cardinali Prospero Marefusco Maceratensi coram congregatione particulari a Benedicto XIII. fel. record. pontifice deputata, editisque hinc inde allegationibus, dissertationibusque, de quibus supra meminimus, ultro eidem liti cessisse, et id *facto* agnovisse, quod *verbis* etiam professus fuit in commentario vitæ Clementis XI. ab se evulgatæ, ubi dicitur, esse *Urbinum nobile Umbrorum municipium.* Quæ autem modo a cardinale Joanne Francisco Albano adijciuntur, se esse protectorem provinciæ Marchiæ, ecclesiæ, et collegii Piceni urbis, et loca duorum collegiorum Piceni, et Montis Alti adolescentibus ex provincia Marchiæ addicta, Urbinatibus etiam collata aliquando fuisse, ea levia admodum sunt. Nam nulla lex scripta est, quæ præcipiat, ut soli ex provincia Marchiæ cardinales patrocinium suscipiant ejusdem provinciæ, ecclesiæ, et collegii in urbe existentis, sed arbitrio, placitoque deputatorum nationis eliguntur. Quoad loca vero duorum collegiorum Urbinatibus adolescentibus collata, aut id ex erronea opinione factum est, aut loca ex iis esse potuerunt, quæ in Sixtinis literis pro collegio Montis Alti editis reservata sunt liberæ cardinalis protectoris dispositioni.

Cui jus competat obtinendæ protectoriæ declaratur.

§. 14. Deest igitur jus omne tum cardinali Innocentio de Comitibus, tum cardinali Joanni Francisco Albano. Hinc reliquum est, ut cardinali Mario Marefusco, qui ex provincia Marchiæ Anconitanæ certam habet originem, et antiquior est cæteris ejusdem provinciæ cardinalibus, *protectiones omnes* unice debeantur. Quare finem huic controversiæ imponentes *decernimus*, *protectiones cappellæ ad Præsepe in basilica s. Mariæ Majoris, collegii s. Bonaventuræ in conventu XII. apostolorum de urbe, et collegii Montis Alti in civitate Bononiæ spectare ad dilectum filium Nostrum cardinalem Marium Marefuscum cum omnibus juribus, præeminentiis, legibus, et conditionibus, quæ in sæpius memoratis literis* felicis recordationis pontificis Sixti V. continentur: et proinde *volumus et mandamus, ut is qua verus supradictorum trium locorum protector, et defensor ab hac die imposterum cunctos possessionis actus, et jura exercere libere valeat, et qua talis ab omnibus agnoscatur, recipiaturque, quavis contradictione, et reclamatione remota.*

Motus proprii tenor pro eliminandis futuris aliis litibus.

§. 15. Verum quia mens Nostra est, ut quoad fieri possit, futuro etiam tempore omnium litium, dissidiorumque semina in *protectionibus* istis optandis elidantur, ideo Nos morem, et exempla sequuti prædecessorum Nostrorum, qui sæpius novis constitutionibus editis veterum legum ambiguitatem provide sustulerunt, enunciatas Sixtinas literas interpretando, explicando, et supplendo cohærenter ad ea, quæ supra constituta sunt, ex certa scientia quasdam adiicimus motu proprio, et auctoritate Nostra apostolica declarationes, quæ instar legis perpetuo valituræ habendæ sint, perinde ac si in iisdem literis appositæ usque ab initio fuissent.

Declaratur cui competat substitutio quoad protectoriam collegii s. Bonaventuræ.

§. 16. Declaramus itaque, et præcipimus, ut substitutio cardinalium *de Nostra familia*, quæ primo loco facta est, quoad *protectionem* collegii s. Bonaventuræ, habeatur pro extincta, cum familia, et agnatio Peretta, ad quam fuerat coercita, jamdudum defecerit, et ut deinceps *protectio* ejusmodi, exclusis omnibus cardinalibus cognatis, spectet tantum ad antiquiorem ex provincia Marchiæ Anconitanæ cardinalem, eoque non existente, ad cardinalem protectorem ordinis minorum Conventualium, ab eodem pontifice Sixto V. substitutos. Hinc approbamus, et confirmamus latum hac in re a Rota judicium inter Sabellum, et Azzolinum S. R. E. cardinales in decisione Nobis exhibita, cui titulus = *Romana, et Bononien. protectionum 20. April. 1671. coram Albergato*, et cui perpetuæ, et inviolabilis firmitatis robur adiicimus ejus tenorem pro expresso habentes, etiamsi decisio isthæc typis impressa non fuerit, et aliis quibuscumque non obstantibus defectibus.

Idem quoad aliam protectoriam cappellæ ad præsepe.

§. 17. Declaramus præterea, et decernimus, ut cardinales tantum *de cognatione, et consanguinitate Sixti V.*, quocumque in gradu sint, ad alias duas *protectiones* cappellæ ad Præsepe, et collegii Montis Alti ante alios admittantur, et ut illis salvum sit jus avocandæ *protectionis* cappellæ a cæteris cardinalibus substitutis eo modo, quo in literis erectionis ejusdem cappellæ præscriptum est. Qua in re sicuti duæ sunt congregationum particularium ab Urbano VIII., et ab Alexandro VII. deputatarum invicem pugnantes resolutiones, a quarum altera jus ejusmodi cardinali Francisco Peretto probatum fuit, altera autem ad postulationem nationis Picenæ confirmata a Clemente IX. suis apostolicis literis datis die 25. maii anni 1668. cardinali Virginio Ursinio negatum, ita penitus abrogata secunda hac

resolutione, ejusque confirmatione, quam idem Clemens IX. ad viam juris redegit eo ipso quod causam subinde ortam inter Sabellum Sixti V. pontificis consanguineum, et Azzolinum Rotæ auditorio *prout de jure* definiendam commisit, priorem illam resolutionem approbamus, et inviolabiliter servandam esse præcipimus.

Qui sint admittendi ad easdem protectorias deficientibus cardinalibus provinciæ Marchiæ.

§. 18 Declaramus etiam, et præscribimus, ut cardinales oriundi ex Urbino, ejusque ducatu, ne deficientibus quidem cardinalibus ex provincia Marchiæ, *ad protectiones* imposterum admitti valeant, quum in præjudicium aliorum vocatorum subsidiaria hæc admissio concedi nequeat iis, qui a provincia Marchiæ Anconitanæ omnino extranei nullum habent vocationis primordium.

Aliæ substitutiones, pro aliis vacantiæ casibus.

§. 19. Cum vero dubitari possit comprehendi, nec ne debeant nomine cardinalium ex provincia Marchiæ Anconitanæ oriundorum cardinales ex Nostris civitatibus *Camerini*, et *Fani* oriundi: etenim ex una parte constat *Camerinum* suos habuisse duces, et ad Umbriæ provinciam pertinuisse; in *Fano* autem ideo servandam non esse constitutionem Carpensem, inter cætera edixit Rotæ tribunal *in Fanen. Salviani* 16 *aprilis* 1717. *cor. Gamaches*, quia cum geographis censuit eam civitatem intra limites provinciæ Marchiæ non esse, sed sitam reperiri in provincia Umbriæ: parte vero ex altera notum est, utramque civitatem fuisse a Sixto V. enumeratam inter civitates provinciæ Marchiæ in suis apostolicis literis datis idibus martii 1589. in quibus *non obstantibus constitutionibus dictæ provinciæ, et locorum statutis, legibus, naturis, et privilegiis pro ea vice dumtaxat specialiter, et expresse* derogatis, rotam Maceratensem *pro felici regimine provinciæ Marchiæ* instituit, quæ literæ confirmatæ fuerunt primum a Gregorio XIV. per alias literas diei 12 julii 1591. et deinde præviis duabus Rotæ decisionibus, ab Innocentio X. per literas diei 5. martii 1646: nec non *Camerini* urbem, ex qua ortum habuit mater Sixti V. fuisse ex præcipua ejusdem pontificis beneficentia decoratam nominatatione trium civium suorum ad totidem scholarium loca in collegio Montis Alti per literas apostolicas datas xv. kalen. decembris 1588.

Declarationes speciales, ad omnes ambiguitates eliminandis.

§. 20. Hinc, ut ambiguitatem omnem, quæ futurarum hac in re contentionum causa facile esse posset, præcidamus, eam elegimus viam, quæ juris rationi, et pontificis actibus visa Nobis est magis consentanea. Quapropter supradictarum literarum apostolicarum, cæterorumque omnium monumentorum tenore præ oculis habito, animadvertentes vocationem cardinalium ex incontrovertibilibus locis provinciæ Marchiæ oriundorum *explicitam* habere vocationem in literis illis apostolicis, in quibus tres nunc controversæ *potectiones* institutæ fuerunt; cardinales vero Camerinenses, et Fanenses vocationem eamdem non aliter sibi asserere posse, quam *inductive* ex aliis mox relatis ejusdem Sixti V. literis ad alios effectus editis, in quibus Camerinum et Fanum cæteris provinciæ Marchiæ locis quodammodo aggregavit: itemque considerantes majora erga Camerinum, quam erga Fanum pontificem ipsum exhibuisse suæ dilectionis, et munificentiæ argumenta, statuimus, ut ad *protectiones* primo admittatur antiquior cardinalis oriundus ex iis provinciæ Marchiæ civitatibus, oppidis, et loci, quibus naturalis, indubia, et incontrovertibilis Marchiæ Anconitanæ proprietas suffragatur; horum autem cardinalium nemine extante, antiquior admittatur cardinalis oriundus ex civitate Camerini, ejusque comitatu; quorum nemo si adsit, admittatur antiquior cardinalis ex civitate Fani, ejusque loci oriundus. Volumus tamen ut per hoc non sit, nec censeatur quidquam in cæteris innovatum quoad naturam, statum, condictionem, et jura prædictarum civitatum Camerini et Fani, sed illa non secus, ac jura omnia provinciæ Marchiæ Anconitanæ in reliquis salva, integra, et in suo robore ac firmitate permaneant.

Aliæ similes declarationes.

§. 21. Et quoniam inter cardinales ad hujusmodi *protectiones* vocatos alia etiam excitari potest quæstio, an *oriundi* censeri debeant cives tantum ex *nativitate*, vel alii etiam ex *origine*, *allectione*, *ac privilegio*, quive inter eos servandus sit successionis ordo; idcirco ut hisce etiam in futurum forsan excitandis dissidiis occurramus, mentem interpretantes Sixti V. prædecessoris Nostri, decernimus cives ex sola allectione, vel privilegio, appellatione oriundorum non comprehendi; eos vero qui tales sint nativitate, et origine ex locis memoratis, esse ad *protectiones* admittendos juxta antiquitatis ordinem et mox præscriptam pro diversis regionibus unius post alium successionis methodum; verumtamen originarios ad præsentem effectum, eos tantum censendos esse a pontifice Sixto invitatos, qui patrem habuerint in locis illis

natum : Quod si tandem omnes isti cardinales non extent, tunc reliqui postremo succedant, qui fuerint a Sixto V. nominatim substituti, nempe in *protectione* cappellæ ad Præsepe primus cardinalis in ordine presbyterorum, in *protectione* collegii s. Bonaventuræ is, qui erit protector ordinis minorum Conventualium, et in protectione collegii Montis Alti ille cardinalis, quem rector, et scholares elegerint.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 22. Ut autem hæc omnia perpetuo firma sint, volumus presentem Nostram sanctionem et schedulam motus proprii nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, sive eam infringi, invalidari, seu revocari posse, sed illam semper validam, et efficacem existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, nec non inviolabiliter observari, etiamsi auditi non fuerint dilecti filii Urbinates, Camertes, Fanenses, aliique, quorum interesse poterat, quum ex deliberata Nostra voluntate omnia processerint : sicque per quoscumque judices ordinarios, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etsi de latere legatos, seu vicelegatos, aut cameræ apostolicæ præsidentes, et clericos, et quoscumque alios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique locorum judicari, et definiri, ac sententiari debere, nec non quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 23. Non obstantibus constitutione Pii IV. prædecessoris Nostri de registrandis, regula cancellariæ de jure quæsito non tollendo, et quibusque aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, indultis, usibus, consuetudinibus, quibus omnibus ad præmissum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 24. Volumus autem ut hujusmodi decretalis et schedulæ transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ sententiæ, declarationis, et voluntatis infrigere, vel ausu temerario contraire. Datum Romæ apud s. Petrum die xii. maii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLX.

Dat. die 31 maii 1780 Anno VI.

**Declaratur circa privilegia abbati, seu superiori monasterii s. Mariæ in Balneo ordinis Camaldulensium competentia.**

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum, et privilegii favore abbatis concessi.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus superior, seu abbas abbatialis ecclesiæ sanctæ Mariæ in Balneo, ejusque monasterii monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis Burgi sancti Sepulchri diœcesis, quod alias dilecti itidem filii abbas generalis ac monachi visitatores ordinis, et congregationis prædictorum, ex facultatibus, et indultis Nobis eis impertitis omnem ordinariam, seu quasi episcopalem jurisdictionem, quam ipsi in ecclesia, ac monasterio abbatiæ prædictæ, ac in suo respective territorio jamdiu exercuerunt in manibus venerabilis fratris Caroli archiepiscopi Patracensis, Nostri, et Sedis apostolicæ apud dilectissimum in Christo filium Nostrum Petrum Leopoldum archiducem Austriæ regium Bohemiæ, et Ungariæ principem, ac Hetruriæ sibi subjectæ magnum ducem in perpetuum dimiserunt, renunciarunt, ac abdicarunt; reservatis tamen favore prædictæ abbatialis ecclesiæ sanctæ Mariæ in Balneo, ejusque monasterii omnibus, et singulis juribus, prærogativis, exemptionibus, et privilegiis ipsi veluti ecclesiæ matrici, et digniori de jure competentibus exceptis, quæ ad curam animarum, et sacramentorum administrationem juxta sacri concilii Tridentini dispositionem, pertinebant, quam etiam renunciationem, ac respective reser-

vationem per Nostras literas in simili forma Brevis die xxi. augusti anni MDCCLXXIX. expeditas approbavimus, ac ratam habuimus. Verum sicut eadem expositio subjungebat cum monachus, qui a superioribus ordinis, et congregationis prædictorum ad regimen dictæ abbatiæ, et monasterii assumptus erat titulo abbatis dumtaxat mere localis, non vero personalis, et absque voce in capitulis ex decreto venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium episcoporum et regularium negociis præpositorum die xii. aprilis MDCCXX. emanato, ac postmodum per literas in similis forma Brevis a felicis recordationis Clemente XI. die vicesima tertia junii millesimo septingentesimo vigesimo expeditas confirmato, et juxta antiquam dictæ abbatiæ consuetudinem, uti, frui, et gaudere consueverit, ita tamen, ut completo gubernio, omnis etiam abbatialis titulus in eo expirasset, nuper emersit dubitatio an favore superioris localis ejusdem abbatiæ pro tempore existentis post prædictam renunciationem, et abdicationem eadem privilegia, ac tituli adhuc durent; Nobis propterea humiliter supplicari fecit modernus ejusdem abbatiæ, ac monasterii superior, seu abbas, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor ampliationis concessionis factæ in literis præcedentibus.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati harum serie sancimus, et declaramus, quod renunciatio prædicta nullatenus obstet quominus superior localis abbatiæ sanctæ Mariæ in Balneo prædictæ, ejusque monasterii, durante munere, et gubernio ejusdem abbatiæ, et monasterii iisdem juribus, privilegiis, et praeminentiis, quibus alias superiores locales prædicti ad formam dicti decreti congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium episcoporum, et regularium negociis præpositorum, et dictarum Clementis literarum, et antiquam consuetudinem uti, frui, et gaudere consueverant, pariter uti, frui, et gaudere libere, ac licite possit, et debeat, ac ita perpetuis temporibus servari præcipimus, et mandamus.

Clausula sublatis, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, nec non abbatiæ, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima prima maii anno millesimo septingentesimo octuagesimo pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 7 junii 1780. Anno VI.

## CCLXI.

### Imminutio festorum in territorio d' Elten.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Tienensi Nostro, et sedis apostolicæ ad fractum Rheni, et partes inferiores Germaniæ nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Ex quo divina majestas ad pastoralis officii fastigium Nos quamquam immeritos evexit, quantum in Nobis fuit superno auxilio freti paterna charitate Christifideles omnes in Domino complecti conati sumus, et quamvis præcipue ad divini cultus, et catholicæ fidei propagationem, animarumque salutem Nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, quoniam tamen boni patris familias partibus una simul fungi tenemur, singulari cura ad ea quoque interdum incumbere, non destitimus, quæ eorum temporalia commoda respiciunt, quibus presertim illos ad spiritualia consectanda fieri promptiores, alacrioresque posse in Domino arbitrati sumus,

Tenor precum porrectarum pro assequenda imminutione festorum.

§. 2. Cum itaque dilecta in Christo filia moderna abbatissa monasterii d'Elten nullius provinciæ Coloniensis, seu alterius exponi Nobis nuper fecerit, quod alias populis provinciarum suo territorio limotrophiarum a prædecessoribus Nostris ab obligatione in certis diebus anni festis se abstinendi ab operibus servilibus fuerint absoluti, ac liberati, ideoque inter suos subditos non parva exinde oriri incommoda, hinc, ut ipsis, quantum fieri potest, obviam ire desiderans, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur abbatissam prædictam specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et populorum conscientiæ consulendum esse judicantes, fraternitati tuæ committimus, et mandamus, ut in duabus parochiis in districtu d' Elten existentibus, hanc omnibus Christifidelibus de diebus festis legem, in quam maturo consilio, et expensis omnibus, descendimus, auctoritate apostolica denuncies, et edicas.

Declarantur qui dies festivi sint habendi.

§. 3. Retineantur enim, et celebrentur festivi dies Resurrectionis cum sequenti, et Pentecostes item cum sequenti, aliisque per annum dies Dominici, nec non nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi, tunc quinque dicati beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis; præterea retineantur festa sanctorum apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, sancti Stephani protomartyris, et sancti Viti, et santi Martini in suis respective parochiis, in quibus principaliores patroni existunt.

Præscribuntur quæ præstari debeant diebus festivis, et aliis exemptis.

§. 4. In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiæ catholicæ instituto Christifideles sacris adesse, a servilibus operibus abstinere, et jejunium in eorumdem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant, et teneantur. In reliquis vero festis nondum laboriosas artium exercitationes, et servilia opera permittimus, et indulgemus; sed insuper eosdem Christifideles a quacumque vigiliæ, et jejunii diebus præcedentibus, dummodo aliunde, vel ratione quadragesimæ, vel ratione quatuor temporum, non præcipiatur, et audiendi missam in prædictis festis obligatione absolvimus, et liberamus.

Consulitur venerationi sanctorum, et translationi jejunii.

§. 5. Sed quoniam dum populorum conscientiæ consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiæ providemus, sanctorum venerationem, et salutarem Christifidelium pœnitentiam minuere non intendimus, ideo sanctorum, et solemnitatum officia, et missas tam in eisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri, et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus. Sacrum vero jejunium, quod in prædictis vigiliis habebatur, ad quartas, et sextas ferias adventus transferendum, ibidemque servandum edicimus, et constituimus. Ut autem non solum clerici, et divites homines sæculares, qui etiam diebus non festivis sacrosanto missæ sacrificio, et divinis officiis, quod vehemanter cupimus, adesse possunt, (sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum apostolorum, et martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent, et venerentur, volumus, ac præcipimus, ut die xxix. junii, ultra præcipuum sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, et die xxvi. decembris, ultra præcipuum sancti Ste-

phani festum etiam aliorum sanctorum martyrum memoria celebretur. Quare die xxix. junii in kalendariis ecclesiasticis ita festum inscribendum erit = sanctorum Petri, et Pauli, et commemoratio omnium apostolorum = ac tam in offfcio, quam in missa addatur = commemoratio de communi apostolorum = die vero xxvi. decembris ita notetur festum = sancti Stephani protomartyris, et commemoratio omnium sanctorum martyrum = ac tam in officio, quam in missa addenda erit = commemoratio de Communi plurimorum martyrum.

Monitum ad ordinarium, cui onus committitur exequendi literas apostolicas.

§. 6. Hæc Nos venerabilis frater non minus spiritualem, quam temporalem istius populi utilitatem intuentes sanciendа esse judicavimus, in quo plurimum sollicitudini, ac partorali vigilantiæ tuæ confidimus, qui illud profecto sedulitate, studioque tuo efficies, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, et major sit in populorum animis pietas, fervor, ac devotio; proinde vehementer cupimus, ac in Domino fraternitatem tuam hortamur, ut populos tibi commissos diligenter edocendos cures, quæ ad justam, legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore, quave humilitate spiritus adstare sanctissimo altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, ac christianæ doctrinæ institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies Christifidelium corda graventur crapula, et ebrietate, ac sæcularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis, ut profana quæque ludrica, et minus religiosa a publicis locis amoveantur, contra vero in conspectu illa sint, abundeque suppetant, quæ ad fovendam devotionem, pietatemque plurimum prodesse possint. Quæ quidem cuncta a perspecta pastorali sedulitate tua Nobis maxime pollicemur.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

## CCLXII.

Dat. die 7. junii 1780 Ann. VI.

Immutatio temporis absolvendi horas canonicas in ecclesia cathedrali Palentina.

Pius pp. VI.

Ad futuram rei memoriam

Exponitur petitionem super immutatione horarii delatam fuisse ad s. congregationem Concilii.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum capituli, et canonicorum ecclesiæ cathedralis Palentinæ congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum expositum fuit, quod cum adesset in eadem ecclesia consuetudo immemorabilis recitandi matutinum cum laudibus hora media noctis tam æstivo, quam hyberno tempore, serio perpensis incommodis, quæ hunc piissimum, et pervetustum morem comitabantur, fuit ipsi derogatum a tunc existente episcopo ex hora media noctis, ad nonam deflectendo; verum quia providentia ejusdem episcopi capitulo prædicto non satisfecit propterea quod per horam ab ipso determinatam non removebantur incommoda interessentibus obvenientia cum notabili eorum salutis detrimento; hinc idem capitulum prædictæ congregationi preces obtulit pro horæ immutatione, aptius censendo, matutini persolutionem tam hyeme, quam æstate transferre post sonitum vespertinæ salutationis; requisito vero de more ab eadem congregatione episcopo, vicarius capitularis legitime deputatus, ex eo, quia ecclesia hujusmodi suo pastore viduata erat, retulit, justam, et rationabilem esse capituli instantiam, neque ullum sive in libris, sive in actibus capitularibus ejusdem ecclesiæ statutum formale reperiri circa tempus prædictas horas canonicas absolvendi, sed tantum mentionem fieri consuetudinis immemorabilis, quæ ad hæc usque tempora non sine magno ad prædictas horas interessentium periculo perseveravit. Quare eadem congregatio edidit decretum tenoris sequentis, videlicet.

Die 29. aprilis 1780.

Tenor decreti editi a sacra congregatione.

§. 2. Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, attenta relatione vicarii capitularis Palentini, benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis, supradictis oratorum precibus pro suo arbitrio, et conscientia gratis

indulgeat juxta ejus votum, nempe, quod matutinum, et laudes canantur hora nona post solis occasum.

L. card. Pallavicinus

Loco-signi

Preces porrectæ pro confirmatione decreti.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo decretum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertum decretum una cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique apostolicæ inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque juris, et facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiæ, et capituli præfatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXIII.

Dat. die 10. junii 1780. Anno VI.

Exemptio nonnullorum monasteriorum sanctimonialium in dominio Venetiarum existentium a jurisdictione fratrum minorum s. Francisci de observantia, eorumque subiectio respectivis ordinariis.

Venerabili fratri Vincentio archiepiscopo Tyrensi Nostro, et Sedis apostolicæ in dominio Venetiarum nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Vineam Domini Sabaoth, quæ est catholica Ecclesia pro commisso Nobis divinitus apostolicæ servitutis munere custodire, ac excolere omni studio, atque industria jugiter satagentes animarum Christifidelium, qui contemptis illecebris hujus sæculi in religionis portu divinis se se obsequiis manciparunt, saluti, ne illorum in via Domini progressus aliquo modo retardetur, præcipua quadam, et singulari sollicitudine providere tenemur, prout salubriter expedire conspicimus.

Minister generalis ordinis postulat liberari ab onere regendi monia les.

§. 2. Cum alias sane dilectus filius Paschalis a Varetio frater ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatus expresse professus, ac ejusdem ordinis minister generalis Nobis humiliter supplicari fecerit, ut ei curam, ac

gubernium tam spirituale, quam temporale dilectarum itidem in Christo filiarum sanctimonialium in monasteriis Clugone il Paradiso in diœcesi Bergomensi Orzinuovi s. Claræ in diœcesi Brixiensi Asola s. Claræ nullius Asulanæ provinciæ Venetiarum, Crema sanctæ Claræ, et Crema Terziariæ Immaculatæ Conceptionis diœcesis Cremensis degentium libere renunciandi, dimittendi, ac abdicandi plenam, et amplam facultatem impertiri de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex indulget juxta petita.

§. 3. Nos igitur multis rationabilibus de causis, ac matura debitæ considerationis trutina illius votis annuere volentes, supplicationibus super his porrectis inclinati, cum renunciationem, et abdicationem hujusmodi auctoritate Nostra apostolica approbaverimus, ac ratam, et acceptam habuerimus, prout tenore præsentium confirmamus, acceptamus, et approbamus, omnesque, et quatenus opus sit, et singulos juris, et facti defectus supplemus, eisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine fraternitati tuæ, de cujus fide, doctrina, vigilantia, ac charitate, et in gerendis negociis dexteritate plurimam in Domino fiduciam habemus, per præsentes committimus, et mandamus, ut dicta monasteria = Clugone il Paradiso = Orzinuovi sanctæ Claræ = Asula sanctæ Claræ, Crema sanctæ Claræ = Crema Terziariæ Immaculatæ Conceptionis, illorumque sanctimoniales, ac quæcumque bona ad illa spectantia, a quacumque subjectione, ac regimine, et gubernio dictorum fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum tenore præsentium eximas, liberesque, ac exempta, et libera esse decernas et declares.

Moniales jurisdictioni singulorum ordinariorum subjiciuntur.

§. 4. Et omnimodæ jurisdictioni venerabilium fratrum modernorum, et pro tempore existentium episcoporum Borgomensis, Brixiensis, Cremensis, et dilecti filii moderni, et pro tempore existentis abbatis Asulanæ provinciæ Venetiarum intra quorum diœcesum, ac territorii septa sunt sita respective subiicias. Eaque propter fratribus prædictis harum serie prohibemus, ne in iis, quæ ad monasteria hujusmodi, ac sanctimonialium prædictarum gubernium, ac regimen tam temporale, quam spirituale pertinent in posterum se ullatenus ingerere audeant, seu præsumant. Declarantes tamen, quod licet moniales prædictæ, quoad gubernium tam spirituale, quam temporale a fratribus prædictis segregaverimus, ut præfertur, ac segregatæ existant, nihilominus gratiis, indultis, ac privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros ordini fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum prædicto concessis, uti, frui, et gaudere sanctimoniales prædictæ libere, ac licite possint, et valeant.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima junii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 23. junii 1780 Anno VI.

## CCLXIV.

**Unio, et incorporatio perpetua cappellaniæ Marcucci monasterio, sive congregationi Piarum Operariarum immaculatæ Conceptionis in civitate Asculi in Piceno.**

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Procemium.

§. 1. Quantum ex monasteriis aliisque locis piis, in quibus sapientes virgines accensis lampadibus obviam euntes Christo sponso suo, ac gratum, et debitum exhibentes eidem famulatum, puellarum educationi, ac christianæ institutioni incumbant, in Ecclesia Dei splendoris, ac utilitatis oriatur, perpendentes, id unum ex intima animi Nostri charitate, qua eas in Domino prosequimur, præstare cupimus, ut monasteria, et loca pia hujusmodi satis congruo censu sint ditata, ut magis magisque ab omnibus sæcularibus curis abstractæ, alacrius hunc vitæ cursum in virginibus, et puellis, catholicis moribus, et virtutibus instituendis consumantes, fidem earum cœlesti sponso servantes, tandem accipient coronam justitiæ, quam reddet eis Dominus in die retributionis justus judex.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Franciscus Antonius episcopus Montis Alti, ac in alma urbe Nostra vicesgerens, quod alias bo. me. Rinaldus Marcucci senior civis Asculanus, ac suus ascendens, dum adhuc in vivis ageret, cappellaniam cum onere trium missarum in qualibet hebdomada in suffragium animarum suæ familiæ Marcucci, assignato censu in sorte scutorum mille monetæ Romanæ, et annui redditus scutorum trium pro quolibet centenario ad altaræ beatæ Mariæ virginis Lauretanæ in ecclesia cathedrali civitatis Nostræ Asculanæ cum authoritate tunc existentis episcopi Asculani instituit, reservavitque jus nominandi cappellanum ad nutum amovibilem ad eamdem cappellaniam favore suæ familiæ, et lineæ Marcucci; qua vero penitus extincta, constituit idem jus nominandi ad confraternitatem sanctissimi Corporis Christi in ecclesia sancti Francisci Asculi canonice erectam spectare, ac alias prout in instrumento hisce desuper per acta quondam Francisci Sardi notarii Asculani die 15 aprilis MDCXLI. rogato, ac in decreto episcopali die 14 februarii anni MDCXLII. per acta quondam Petri Guidoni emanato uberius continetur.

Ratio præsens pro adducenda incorporatione, et unione

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Franciscus Antonius episcopus sit ultimus superstes de familia, ac linea memorati quondam Rinaldi prædictæ cappellaniæ institutoris, ac eamdem cappellaniam in præsenti retineat, ad cujus titulum fuerat alias ad sacros ordines promotus, et dudum in dicta civitate Asculi in Piceno congregationem, seu monasterium Piarum Operariarum, seu oblatarum sub invocatione beatæ Mariæ virginis Immaculatæ, quæ ex suæ vitæ instituto vitam communem servant, et puellarum christianæ educationi, ac disciplinæ, aliisque pietatis, et charitatis operibus hujusmodi jugiter vacare non desistunt erexerit, ac magno quidem, sed proprio sumptu instituerit, ac dotaverit; cumque insuper, sicut eadem expositio prosequebatur, a fel. rec. Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro onus præfatarum missarum trium in qualibet hebdomada ex lege in actu institutionis volita, altari beatæ Mariæ virginis Lauretanæ in cathedrali ecclesia Asculi adnexum per decretum a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum die x julii anni MDCCVII. emanatum ad ecclesiam, seu cappellam publicam monasterii, seu domus dictarum Piarum Operariarum transferri obtinuerit, annui vero redditus memoratæ congregationis, seu monasterii sint adeo tenues, ut cultus sit major censu, quos ex fructibus superextantibus, detracto prædicto onere missarum dictæ cappellaniæ, augeri summopere cupiat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et, ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur ejusdem Francisci Antonii episcopi votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac dicti instrumenti, nec non decreti episcopalis tenores præsentibus pro plene, ac sufficienter expressis, et inser-

tis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, cappellaniam prædictam per liberam dimissionem, et resignationem memorati Francisci Antonii episcopi in manibus Nostris factam in supplici libello Nobis porrecto, et a Nobis admissam, nec non substitutionem pro titulo suæ ordinationis a Nobis pariter approbatam, ratæ scilicet scutorum tercentum pensionis eidem Francisco Antonio episcopo reservatæ etiam in majori summa super fructibus archiepiscopatus Firmani vacantem, una cum suis bonis, redditibus, et proventibus memorato monasterio, seu congregationi Piarum Operariarum, seu Oblatarum sub invocatione beatæ Mariæ Virginis immaculatæ Asculi existenti auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, adnectimus, et incorporamus, prout perpetuo unitam, adnexam, et incorporatam esse decernimus, et declaramus; ita tamen, ut perpetuis futuris temporibus tres missæ juxta mentem, ac dispositionem pii illius fundatoris in qualibet hebdomada in ecclesia, seu cappella publica dicti monasterii, seu congregationis in suffragium animarum familiæ Marcucci celebrentur, et celebrari debeant; super hisce etiam earumdem piarum oblatarum, ac illarum administratorum pro tempore existentium conscientiam onerando, auctoritate, et tenore præsentis volumus, præcipimus, ac mandamus: liberantes insuper memoratum Franciscum Antonium episcopum a quocumque onere publicationis, quatenus opus sit, supradictæ suæ dimissionis, ac resignationis in manibus Nostris factæ, nec non substitutionis superius memoratæ pro titulo suæ ordinationis.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, dictisque Francisco Antonio episcopo, ac monasterio, seu congregationi hujusmodi plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delagatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de jure quæsito non tollendo, aliisque quibusvis, nec non, quatenus opus sit, memorati Rinaldi dispositione, et dictæ cappellaniæ, ac memoratæ confraternitatis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxiii junii MDCCLXXX pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXV.

Dat. die 27 junii 1780 Anno VI.

Facultas episcopo Celsonensi reducendi onera anniversariorum communitatis presbyterorum, et beneficiatorum parochialis ecclesiæ s. Nicolai Cervariæ Celsonensis diœcesis incumbentium.

Venerabili fratri episcopo Celsonensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas, et confraternitas nuncupata sancti Nicolai presbyterorum, et beneficiatorum in parochiali sanctæ Mariæ Cervariæ Celsonensis diœcesis existens, quod ipsi multis missarum oneribus gravantur, ex quibus plures cum cantu, et ministris; nonnullæ cum determinato presbyterorum numero; reliquæ vero certis, et statutis horis celebrandæ sunt: porro eleemosyna pro oneribus hujusmodi juxta eorum diversitatem olim ab ordinario, uti ab hac sancta Sede delegato, assignata, evasit incongrua propter rerum omnium, quæ ad victum, vestitumque pertinent auctum pretium, cui accedit, quod caussa litterariæ universitatis a cla. mem. Philippo V. dum vixit, Hispaniarum rege

catholico in dicto Cervariæ oppido, seu loco erectæ, aucta frequentia populi, decentia (et maxime in personis ecclesiasticis) fit necessaria. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, si missæ cum cantu, et determinato presbyterorum numero celebrandæ ad anniversaria generalia; missæ lectæ ad octo solidos liquidæ monetæ illarum partium pro qualibet; anniversaria autem, aliæque omnes missæ cantum, et ministros requirentia, singula quoque ad decem solidos hujusmodi, aliæ vero missæ statutis horis celebrandæ ad novem, decem, undecim, et duodecim solidos prædictos respective eleemosynæ libere percipiendæ pro modo horæ in qua celebrari debent, reducerentur, et respective pariter assignarentur, profecto exponentium statui foret consultum; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio episcopo porrecta pro indulgenda gratia cum suis declarationibus

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: attentis relationibus tua, et dilecti etiam filii magistri Francisci Carrara congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, supradicta missarum tam lectarum, quam cantatarum onera juxta proportionatam cujuslibet legati reddituum quantitatem, ad rationem eleemosynæ manualis juxta taxam diœcesanam, vel consuetudinem regionis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia gratis modereris, atque reducas, deductis tamen expensis pro sacris utensilibus, aliisque de jure, et necessario deducendis, atque assignata distributione duorum solidorum monetæ prædictæ pro unoquoque sacerdote interessente iisdem missis, seu anniversariis, quæ cum assistentia cani debent. Propterea, ut eas quoque missas, quæ certis horis celebrandæ sunt, ad rationem eleemosynæ, quam in Domino necessariam judicaveris auctoritate Nostra apostolica prædicta pro tuo pariter arbitrio, et conscientia reducendi facultatem pari auctoritate tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Reservationes speciales.

§. 3. Volumus autem, quod in singulis reductionibus per te vigore præsentium faciendis apponas clausulam, ut si quando augeantur redditus, augeatur etiam proportionabiliter numerus ipse missarum, quod in actu præsertim visitationis, tu, et pro tempore existens episcopus Celsonensis, inspicere debebitis; quodque in reliquis, firma, et separata remaneant tam legata missarum lectarum, quam anniversariorum, servata uniuscujusque testatoris dispositione; factaque demum hisce modis reductione, onera missarum sic reducta distincte, et seorsim describantur in tabella onerum missarum, et in libris sacrarii ecclesiæ prædictæ, in quibus præsentes etiam literæ describantur, et perpetuo asserventur ad formam decretorum generalium felicis recordationis Urbani pp. VIII., et Innocentii XII. prædecessorum Nostrorum de celebratione missarum.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse derogamus, dictæque ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 1. iulii 1780 Anno VI.

## CCLXVI.

Facultas uniendi quamdam parochialem ecclesiam domui congregationis Missionis in Lovic Gnesnensis diœcesis existenti.

Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem

Tenor precum porrectarum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri sæculares congregationis Missionis domus Loviciensis Gnesnensis diœcesis, ac modernus visitator dictæ congregationis per Poloniam constitutus, quod parochialis ecclesia villæ, seu pagi in Dmosin nuncupati ejusdem diœcesis tantam numerat animarum copiam, ut ad explenda parochialia munia unius parochi opera sit impar omnino, et nihilominus illius redditus adeo tenues sunt, ut vix ad congruam sui parochi substentationem sufficiant: huic accedit, quod ipsa ecclesia ob vetustatem fatiscens ruinam minatur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, attento quod exponentes dictam villam seu pagum jure hæreditario, aut alias possident, ejusdemque parochialis patroni, et collatores, ut asseritur, existunt, tu animo reputans, quod si prædicta ecclesia domui eorumdem exponentium perpetuo uniretur, et incorporaretur, profecto omnibus tam spiritualibus, quam temporalibus dictæ parochiæ necessitatibus foret consultum, ea propter memoratam ecclesiam, per obitum ultimi illius parochi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, nuperrime vacantem, auctoritate tua ordinaria, ac salvo Nostro, et apostolicæ Sedis beneplacito, communitati dictorum presbyterorum sæcularium perpetuo uniendam, et incorporandam duxeris, cum onere ipsis presbyteris, ut unum foveant de clero sæculari presbyterum, a te, et pro tempore existentibus tuis in archiepiscopatu hujusmodi successoribus, seu archiepiscopalis curiæ officio instituendum, qui prædictæ parochialis commendatarius nuncupetur, assignata ei congrua substentatione, atque uno cedente, vel decedente alium substituant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; attenta etiam relatione dilecti filii magistri Francisci Carrara congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et dummodo per eosdem exponentes provideatur memoratæ parochiali ecclesiæ, et illius fabricæ, ad supradictam unionem, et incorporationem respective, juxta petita, cum oneribus a te præfiniendis auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia gratis devenias, atque procedas.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima julii anno millesimo septingentesimo octuagesimo pontificatus Nostri anno sexto.

CCLXVII.

Dat. die 5 julii 1780. Anno VI

Commissio episcopo Beneventano porrecta, ut constito de imminutione redditunm assignatorum a Benedicto XIII. pro recitatione officii B. M. Virginis, in ecclesia collegiata s. Spiritus comparticipationem canonicis concedat, absentibus a choro causa infirmitatis.

Venerabili fratri episcopo Beneventano Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Benedic. XIII. qui fuit olim ecclesiæ s. Spiritus canonicus, dotem assignavit capitulo pro recitatione parvi officii B. M. Virginis in choro.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici istius ecclesiæ collegiatæ sancti Spiritus civitatis Beneventanæ, quod ex institutione præscripta a fel. mem. Benedicto pp. XIII. prædecessore Nostro ex tempore, quo ipse, dum in minoribus erat, huic ecclesiæ Beneventanæ præsidebat, dictum capitulum inter horas canonicas officium quoque parvum beatæ Mariæ virginis in choro recitare tenetur: pro dote vero ejusdem pii operis memoratus Benedictus prædecessor summam ducatorum Regni novem millium, et septingentorum assignavit, ad hoc ut ex hujusmodi quantitatis fructibus, ac redditibus, quisque ex canonicis, et dignitatibus annua ducata triginta sex quotidianæ distributionis titulo obtineret.

A comparticipatione distributionum arcendi sunt, qui choro non intersint quavis ex causa

§. 2. Prædictis tamen quotidianis distributionibus idem Benedictus prædecessor voluit, ut illi tantum frui, et gaudere deberent, qui revera personaliter choro interfuissent semper, ac generaliter per modum regulæ absentibus, etiam malæ valetudinis causa, aut infirmis, vel alias legitime impeditis a consecutione hujusmodi distributionum exclusis; mandavitque, ut omnes indistincte subjecti essent punctaturis applicandis non quidem beneficio aliorum, qui interfuissent, sed ærario ecclesiæ prædictæ, quam sane memorati Benedicti prædecessoris dispositionem, et voluntatem, ea qua par erat diligentia, et fide dicti exponentes executioni mandare usque adhuc non omiserunt.

Diminutis annuis redditibus postulant canonici etiam onerum reductionem.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, annui redditus, ac proventus prædictæ quantitatis ducatorum novem millium, et septingentorum ex variis emergentibus de causis adeo imminuti sint, ut vix quisque ex canonicis, ac dignitatibus prædictis annua scuta triginta quotidianæ distributionis titulo obtineat: hinc prædicti exponentes dispositionem, ac leges ab eodem Benedicto prædecessore præscriptas in ea tantum parte, qua cavetur, ut absentes etiam causa infirmitatis punctaturis subjiciant, per Nos moderari, ac absentes ex causa dumtaxat infirmitatis hujusmodi distributionum participes fieri per Nos declarari summopere desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor commissionis episcopo porrectæ ut gratiam indulgeat verificata narratorum existentia.

§. 4. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione dilecti filii Francisci Carrara congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S.R.C. cardinalium concilii Tridentini interpetrum secretarii, ac comperto alias per fel. me. Clementem pp. XIII. prædecessorem Nostrum capitulo, et canonicis istius metropolitanæ ecclesiæ Beneventanæ simile indultum per suas literas in simili forma Brevis die v. februarii anni MDCCLXVIII. expeditas fuisse concessum, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, iisdem capitulo, et canonicis istius ecclesiæ collegiatæ sancti Spiritus nunc, et pro tempore existentibus legitime impeditis secundum dispositionem textus in capitulo = Consuetudinem de clericis non residentibus, et sacri concilii Tridentini prædicti sess. xxiv. cap. xii. de reformatione, potestatem percipiendi emolumentum officii Mariani auctoritate Nostra apostolica gratis pro tuo arbitrio, et conscientia concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has literas præsentes firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in premissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam,

quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus memorati Benedicti prædecessoris dispositione, et voluntate, quam, quoad præmissa, sufficienter, et expresse commutamus, atque derogamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ collegiatæ ecclesiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die v. julii MDCCLXXX. Pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXVIII.

Dat. die 8. julii 1780 Anno VI.

Indultum, et dispensatio favore archiducis Austriæ, et concessio vocis activæ, et passivæ in electione episcopi Coloniensis.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Maximiliano archiduci Austriæ.

Pius PP. VI.

Dilectissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem

Laudes archiducis.

§. 1. Præclara regiæ celsitudinis tuæ pietas, ac religio, et singularis in Nos, et apostolicam Sedem devotio, aliaque virtutum decora, quibus personam tuam multipliciter insignivit Altissimus, Nos inducunt, ut apostolica benignitate te libenter prosequamur.

Tenor dispensationis, et indulti.

§. 2. Volentes itaque te præmissorum meritorum tuorum intuitu, et ob plures, gravissimasque causas fidei bono, et Ecclesiæ utilitati conjunctas specialibus gratiis, et favoribus prosequi, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus quoque tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tecum, ut si contingat venerabilem fratrem Maximilianum Fridericum archiepiscopum Coloniensem S. R. I. principem electorem, et ecclesiæ Monasteriensis administratorem, administrationi dictæ ecclesiæ Monasteriensis cedere, aut alias quomodolibet de illius persona ecclesiam hujusmodi vacare, tua dilectis filiis capitulo, et canonicis ejusdem ecclesiæ Monasteriensis, ad quos occurrente illius vacatione, electio personæ idoneæ ipsi ecclesiæ in episcopum per Romanum pontificem pro tempore existentem ad electionem hujusmodi præficiendæ juxta concordata dudum inter Sedem apostolicam, et inclytam nationem Germanicam inita, sive privilegia, et indulta apostolica, aut alias canonice spectat, licet in ætate legitima, nec in sacris ordinibus constitutus existas, nec canonicatum, et præbendam in dicta ecclesia Monasteriensi obtineas, nec in capitulo cathedralis ecclesiæ hujusmodi vocem activam, et passivam habeas; neque alias debite juxta dispositionem sacrorum canonum, et constitutionum apostolicarum, et statutorum, privilegiorum, usuum, ordinationum, ac consuetudinum ecclesiæ hujusmodi qualificatus sis, et forsan in archiepiscopum Coloniensem electus, et magni magistri hospitalis B. M. Theutonicorum coadiutor existas, nihilominus in episcopum administratorem ecclesiæ Monasteriensis hujusmodi eligi, ac etiam memorato Maximiliano Friderico vivente, dictæque ecclesiæ Monasteriensi, ut præfertur, præsidenti in illius coadjutorem cum futura successione in regimine, et administratione ejusdem, ecclesiæ Monasteriensis, de ipsius archiepiscopi consensu, quem Nobis per suas literas die secunda currentis mensis julii datas, junctis quoque assensioni precibus, exhibuit, designari libere, et licite, ac valide possis, et valeas in omnibus, et per omnia, perinde ac si in legitima ad id ætate, sacrisque ordinibus constitutus existeres, canonicatum, et præbendam in cathedrali ecclesia hujusmodi obtineres, vocemque activam, et passivam in memorato capitulo haberes, nec non juxta

illius statuta, usus, consuetudines, ordinationes, privilegia, et indulta, sacrosque canones, ordinationes, privilegia, et indulta, sacrosque canones, et apostolicas constitutiones hujusmodi, ac alias debite qualificatus repereris, et dictæ metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis, et prædicti hospitalis B. M. Theutonicorum coadiutor non esses, auctoritate apostolica tenore præsentium de speciali dono gratiæ dispensamus, tibique concedimus, et indulgemus.

Clausulæ salutares, et irritantes

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas firmas validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis omnibus, et singulis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ecclesiarum, et hospitalis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die viii julii MDCCLXXX. pontificatus Nostri anno sexto.

## CCLXIX.

Dat. die 19. julii 1780 Anno VI.

Suppressio monasterii s. Frigdiani civitatis Lucanæ, et applicatio ejus bonorum pro erigenda universitate studiorum in civitate prædicta.

Venerabili fratri Martino archiepiscopo Lucano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem

Procemium

§. 1. Divina disponente clementia per quam reges regnant, et legum conditores justa decernunt, in eminenti apostolatus specula, et super gentes, et regna, meritis licet imparibus constituti, suavissimos atque uberes fructus, quos viri literarum scientia præditi in agro Dominico in dies producunt, animo revolventes, ac quam pro spiritualium, temporaliumque rerum regimine, ac directione in hac vita tenebris, et ambagibus plena utilis, ac necessarius sit ipsarum literarum usus sedula meditatione perpendentes, inter varias sollicitudines, quibus pro injunctæ Nobis desuper apostolicæ servitutis officio prospere, ac feliciter exequendo, undique angimur, ad ea quo providentiæ Nostræ intuitum convertendum esse probe intelligimus, per quæ in singulis orbis partibus literarum studio vacare cupientibus, facilis illarum capessendarum occasio, et commoditas ministretur: quod quidem ei libentius facimus, quo omnibus precibus id a Nobis contendatur, et illarum, apud quos auctoritatem Nostram interponimus, dignitas, ac propria virtutum merita Nobis fiduciam dant eorum spectatæ in hanc sanctam apostolicam Sedem voluntatis, fidei, et devotionis obtinendi incrementum.

Erectio, et privilegia templi beato Frigdiano dicati.

§. 2. Dudum sane, sicut accepimus, in hac civitate Lucana fuit erectum satis amplum templum beato Frigdiano olim ejusdem civitatis episcopo dicatum sufficienti clero, qui adoleret odorem suavitatis Domino, instructum, quod ab undecimo usque sæculo tum ob piorum Christifidelium frequentiam, tum ob sui cleri juxta illius ævi instauratam ecclesiæ disciplinam collegialiter viventis devotionem, ac exemplaritatem adeo celebre fuit, ut felicis recordationis Alexander pp. II. prædecessor Noster postquam ab ecclesia Luca-

na, cui præsidebat, ad summi pontificatus apicem fuerat evectus, sub defensione, ac protectione Sedis apostolicæ illud suscepit, quod etiam confirmari meruit a felicis recordationis pascali II. prædecessori itidem Nostro; immo cum hujusce ecclesiæ, ac inservientis cleri fama in dies augeretur fuit ipsa a felicis recordationis Gelasio pp. II. a Calixto pp. II. Honorio pp. II. Innocentio pp. II. Cælestino PP. II. Lucio pp. II. Eugenio pp. III. Adriano pp. IV. Alexandro pp. III. prædecessoribus Nostris quamplurimis privilegiis donata, ac felicis recordationis Urbanus pp. VI. et Bonifacius pp. IX. itidem prædecessores Nostri suum priorem multis prærogativis, præeminentiis auxerunt, ac decorarunt, prout in omnibus apostolicis literis hisce desuper expeditis uberius continetur.

Concessio ipsius ecclesiæ facta favore congregationis Lateranensis ordinis s. Augustini.

§. 3. Verum cum temporis processu antiqui cleri, ac canonicorum inibi divino cultui deservientium numerus felicis recordationis Leoni pp. X. prædecessori Nostro minus aptus visus sit diutius ejusdem ecclesiæ, curam, regimen, ac admistrationem gerere, ad illam canonicos regulares congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini accersivit, eidemque congregationi, et ordini bona omnia, fructus, redditus, ac proventus, jura, actiones, et privilegia, quæ ad ecclesiam, et clerum prædictum alias spectabant, univit, ac incorporavit. Ut autem in monasterio hujusmodi, ac adnexa ecclesia sancti Frigdiani perpetuis futuris temporibus divinus cultus, religionis zelus, ac animarum Christifidelium salus incrementum susciperent, voluit, statuitque, ut viginti, et octo canonici congregationis, et ordinis prædictorum, quorum decem, et octo essent in sacro presbyteratus ordine constituti, decem vero clerici in eodem monasterio continuam residentiam facerent, die, noctuque in ecclesia ejusdem monasterio deservirent, in quadragesimali, ac tempore adventus Domini populo ad hoc convenienti per eosdem canonicos verbum Dei evangelizaretur, ac alia etiam onera edixit, prout in memorati Leonis prædecessoris literis die xiii. octobris MDXVII. sub plumbo datis uberius continetur.

Ratio decernendæ suppressionis, et incorporationis.

§. 4. Hæc omnia ad Nostra usque ferme tempora canonici ordinis, et congregationis prædictorum summa religione, ac cum magna fidelium utilitate adimplevere, ac adimplere persisterent, nisi ex misera hujus sæculi conditione, quod quidem non sine gravi cordis Nostri mœrore commemoramus, defervescente Christianorum charitate, ac neglecta juventutis educatione, sicuti cæteræ omnes religiosæ societates, hæc quoque congregatio, et ordo adeo novis agricolis ad sufficiendos iis, qui jam laboribus defessi vineam Domini amplius excolere non possunt, laboret, ut triginta ab hinc annis nullus nationalis Lucensis tirocinium posuerit, unde et regularium hujusmodi Lucensium numerus ad solos duodecim sacerdotes præter duos, qui administratione, ac cura ecclesiarum parochialium fidelium ejusdem monasterii, ac ecclesiæ sancti Frigdiani occupantur, redactus sit, ideoque impar omnino injunctis oneribus satisfacere, hinc ne tum ecclesia prædicta, tum etiam duæ aliæ ecclesiæ filiales, ac animæ Christifidelium illorum curæ concreditarum damnum, aut detrimentum patiantur, impensis studiis consulendum est. Cum itaque hæc videant, hæcque intelligant dilecti filii nobiles viri antiani, ac vexillifer reipublicæ Lucanæ, iisque pro eorum singulari erga Deum pietate, ac religione, ac erga prædictam ecclesiam sancti Frigdiani devotione aliquod constans remedium per Nos afferri cupientes, Nobis nuper exponi fecerunt, quod in civitate Lucana quinque collegiatæ ecclesiæ præter cathedralem jamdiu erectæ reperiuntur, quamobrem ut hisce malis medatur, neque necessarium, neque proficuum foret novam collegiatam in memorato monasterio, ac ecclesia sancti Frigdiani erigere; e contra vero, et religioni, et reipublicæ utilius, quoties redditus, fructus, et proventus omnes ad dictum monasterium, ac ecclesiam spectantes, dempta prius ea debita quantitate, quæ illius per antiquum splendorem restaurandum, retinenendumque congrua videbitur, piæ institutioni, quam senatus Lucensis in prædicta sua civitate Lucensi ad erudiendam juventutem tum in theologicis, ac civilibus, tum in philosophicis scientiis, aliisque omnibus artibus liberalibus erigere intendit, unirentur, ac incorporarentur, prout uniri, ac incorporari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor suppressionis, commissæ episcopo dioecesano.

§. 5. Nos igitur memoratas Leonis prædecessoris literas pro plene ac sufficienter expressas, et insertas habentes, ac quantum Nobis ex alto permittitur, cupientes omnia prædicta incommoda ex adeo imminuto prædictorum canonicorum regularium numero, ut

impares omnino sint, et divino cultui, et Christifidelium animarum saluti prout usque adhuc laudabiliter gesserunt, ac a memorato Leone prædecessore fuerat dispositum, efficaciter incumbere nequeant, invalescentia corrigere, et prædictam ecclesiam sancti Frigdiani in suum pristinum splendorem servare, ac attendentes nihil magis christianæ religioni, ac rectæ reipublicæ administrationi conferre, quam si ad illius gubernium viri literarum præditi suscipiantur, prædictorum antianorum, et vexilliferi justis votis annuere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati; fraternitati tuæ de cujus prudentia, integritate, religione, ac in negociis gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus per præsentes committimus, ac mandamus, ut in præmissis antiquos prioratum, ac canonicatus sancti Frigdiani, omnemque dicti monasterii regularitatem, ac conventualitatem auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, ac suppressas, et extinctas esse declares; subinde vero eamdem ecclesiam in beneficium cum cura animarum, seu beneficium curatum auctoritate prædicta erigas, et instituas, prout harum serie erigimus, et instituimus.

Consulitur electioni parochi, eique privilegia communicantur.

§. 6. Parochi vero ejusdem ecclesiæ electionem, quatenus ea vacare contigerit, inter tres ad curam animarum juxta sacri concilii Tridentini disposita examinatos, Nobis, et Romanis pontificibus successoribus Nostris pro tempore existentibus a dilectis filiis senatu reipublicæ Lucensis præsentandos reserves; eidemque parocho pro tempore existenti, quem sub defensione, ac privilegio Sedis apostolicæ suscepimus, eumque Nostrum, et Sedis apostolicæ notarium cum omnibus privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii notarii de numero non participantium fruuntur, et gaudent, nuncupamus, et facimus, titulum prioris ecclesiæ sancti Frigdiani auctoritate prædicta dones, ac concedas, ut insuper eidem priori duo vice curati, seu cappellani per eum eligendi, ac amovibiles ad nutum in animarum ejus curæ creditarum gubernio adsistere debeant, utque per ipsum sacrista, qui cultum, ac interim ecclesiæ prædictæ curare teneantur, ac octo saltem cappellani, qui eidem ecclesiæ inserviant, ac missam, aliisque oneribus satisfaciant, qui tamen omnes tum sacrista, tum cappellani prædicti sint admovibiles, ad nutum eligantur, constituas, atque decernas.

Providetur Mensa parochialis.

§. 7. Quoniam autem scriptum est non alligabis os bovi trituranti, ac mercenarius dignus est mercede sua, propterea eidem fraternitati tuæ harum serie injungimus, ut congruam memorato priori saltem in annua scuta tercenta monetæ Romanæ, duobus vero vice-curatis, seu cappellanis prædictis cuilibet illorum in annua scuta quinquagena ejusdem monetæ, ac sacristæ annuam pensionem in scuta triginta dictæ monetæ eisdem in quemlibet mensem pro rata portione, et ab omni onere exempta, et libera solvenda taxari cures, et studeas; aliis vero octo saltem cappellanis manuales cappellanias, vulgo *uffiziature* annui redditus scutorum quinquagenorum, quæ eis pariter in quemlibet mensem pro rata portione, ac ab omni onere exempta erunt persolvenda, ea tamen lege, ut quotidie sacrosanctum missæ sacrificium in satisfactionem, ac adimplementum missarum, aliorumque onerum dictæ ecclesiæ sancti Frigdiani adnexorum celebrare teneantur, constituas, ac assignes.

Alimoniis fratrum consulitur, et eis munera adimplenda indigitantur, si vitam sæcularem eligant.

§. 8. Considerantes porro quod dilecti filii Franciscus di Poggio, Dominicus Fatinelli, Benedictus Orsucci, Vincentius Nieri, Joseph Bartholomei, Angelus Sergiusti, Bernardus Vecoli, Hieronymus Minsitoli, Victorius Compagni, Aloisius Gambarini, Alexander Gambarini, Joseph Baroni, Fridericus Compagni, ac Nicolaus Nieri presbyteri canonici regulares congregationis, et ordinis prædictorum expresse professi, nec non dilecti filii Camillus Coselli, Petrus Onesti, et Joannes Baptista Mariani laici ejusdem congregationis, et ordinis expresse pariter professi, qui nunc, aut in prædicto monasterio sancti Frigdiani commorantur, aut forsan in aliis monasteriis ordinis, et congregationis prædictæ degunt, cum omnes nationales Lucenses sint, nimis durum esset, eos cogi in alia suæ congregationis, et ordinis monasteria vagare cum eis per alias Nostras literas in simili forma Brevis singulis illorum contemporanee expeditas, ut ad statum presbyteri sæcularis, ac respective ad statum sæcularem quisque illorum pertransire possit, et valeat, impertiti simus, hinc,

ut charitas, qua eos paterne prosequimur, in eis vacua non sit, tibi denuo committimus, ut in præmissis memoratum Franciscum di Poggio, qui nunc monasterii, ac ecclesiæ prædictorum prior existit, cum illius integritas, religionis zelus, ac doctrina Nobis undique perspecta sit, pro hac prima vice in actualem priorem dictæ ecclesiæ sancti Frigdiani confirmes, ac etiam cætera munera prædicta, iis inter memoratos canonicos regulares postquam ad statum presbyteri sæcularis erunt transacti, qui dummodo ad ea capaces, ac habiles sint, ea expectent, concedas, illaque in eorum personas respective perpetua futura fore declares. Cuilibet porro sacerdoti annuam pensionem non minorem scutorum septuagenorum monetæ Romanæ, cuilibet vero laico annuam pensionem scutorum quinquagenorum ejusdem monetæ eis in singulos menses pro rata portione solvendam assignes, ac constituas, ita tamen, ut eamdem pensionem favore omnium, et præcipue illorum, qui ob munera eis commissa in religione laudabiliter gesta, illius gradus, ac dignitates obtinuerunt, in majorem summam constituere, eam vero pro priore ecclesiæ sancti Frigdiani, cui jam assignata est annua congrua scutorum tercentorum, ac pro parochis ecclesiarum filialium, quibus pariter assignata erit, ut infra annua congrua scutorum centum viginti pro tuo arbitrio, conscientia, ac prudentia imminuere possis, ac valeas. Quoniam autem nonnulli inter memoratos sacerdotes, ac laicos sunt, quibus alias in vim literarum apostolicarum in simili forma Brevis a felicis recordationis Clemente pp. XIV. prædecessore Nostro die xxvii. novembris MDCCLXX. expeditarum, per quas ipse nosocomio Misericordiæ civitatis Lucanæ monasterium Frisonariæ ejusdem congregationis, et ordinis in agro Lucano existenti una cum adnexa ecclesia, ac bonis omnibus in perpetuam emphiteusim concessit, annua pensio fuerat assignata, ut nonnisi illius supplementum, adeout eis unica sit pensio, modo tamen, et forma, ac facultatibus superius expressis petere possint, decernimus.

Aliis consulitur perseverantibus in ordine, et transferendis in alio monasterio ejusdem congregationis

§. 9. Si vero unus, aut alter eorum, vel presbyteris, vel laicus suæ congregationis, et ordinis amore incensus in eis perseverare voluerit, quod tamen intra menses erit deliberandum, quod eadem pensio dumtaxat scutorum septuagenorum pro sacerdotibus, quinquagenorum vero pro laicis eis respective monasteriis, ad quæ suorum præsulum jussu ipsi fuerint traducti, sit solvenda, auctoritate, et tenore prædictis, pariter constituimus, ac declaramus.

Dismembratio ecclesiæ ab aliis parochialibus, cum reservatione pensionis scutorum centum.

§. 10. Præterea cum toties memoratæ ecclesiæ sancti Frigdiani duæ aliæ ecclesiæ parochiales, altera nempe sub invocatione sanctissimi Salvatoris, altera vero sancti Leonardi filiales, ac adnexæ existant, ac ad eas quoque Nostræ providentiæ intuitum convertere teneamur, eidem fraternitati tuæ mandamus; quod eas ab eadem ecclesia sancti Frigdiani auctoritate prædicta dividas, dismembres, ac separes, easque omnino divisas, dismembratas, ac separatas esse statutas, ac declares; illarum congruam in annuam summam scutorum centum viginti, modo, et forma de illis pensionibus expresse, constitutas, ac assignes; ita tamen, ut annuum canonem scutorum viginti a prædicto nosocomio Misericordiæ civitatis Lucanæ juxta alias literas in simili forma Brevis a felicis recordationis Clemente pp. XIV. prædecessore Nostro die v februarii MDCCLXXI. expeditas priori Frisonariæ pro tempore existenti solvendum in congruam parochi sanctissimi Salvatoris, cui titulum prioris Frisonariæ reservamus, attribuas.

Jus conferendi alias parochiales ecclesias S. Sedi, et respective archiepiscopo Lucensi reservatur.

§. 11. Ecclesiarum vero parochialium hujusmodi quoties utraque, vel altera illarum vacare contigerit, collationem, aut ad Nos, ac ad Sedem apolicam, aut ad archiepiscopum Lucensem pro tempore existentem cum consueta mensium alternativa, ac juxta Nostras cancellariæ apostolicæ regulas spectare decernas, atque declares; pro hac tamen prima vice dilectos filios Vincentium Nieri actualem parochum ecclesiæ sanctissimi Salvatoris, ac Angelum Sergiusti parochum ecclesiæ sancti Leonardi, quoniam recte, ac cum Christifidelium animarum eorum curæ in via Domini progressu ecclesias parochiales prædictas administrant, in priorem, ac respective parochum dictarum ecclesiarum confirmes.

Providentiæ speciales pro implemento, et exemptione omnium contentorum in literis apostolicis.

§. 12. Et quum Nobis quam maxime cordi sit, ut hæc omnia sic disposita religiose exequantur, ac ut omnes annuæ pensiones prædictæ, vel temporales, ac vitalitiæ, vel perpetuæ, ac summæ pro missarum, aliisque oneribus debitæ absque ulla exemptione solvantur, immo, ut aliquam etiam annuam summam pro manutentione,

tum prædictæ ecclesiæ, tum sacræ suppellectilis, quatenus alias provisum non sit pro tuo arbitrio constituas; propterea tibi injungimus, ut eas omnes veluti perpetuos canones, aut temporales in quolibet mense pro rata portione solvendos super fructibus, proventibus, ac redditibus, nec non bonis omnibus mobilibus, et immobilibus, alias ad dictam ecclesiam, ac monasterium, ut præfertur, suppressum spectantibus, auctoritate prædicta indicas, ac imponas; ut insuper aptari, ac sufficientem portionem monasterii prædicti in habitationem, tum prioris ecclesiæ sancti Frigdiani pro tempore existentis, tum duorum viceparochorum, et adsistentium constitui, et concedi.

Assignatio bonorum favore universitatis studiorum erigendæ.

§. 13. Omnes vero sacras suppellectiles, nedum nunc ad eamdem ecclesiam sancti Frigdiani spectantes, sed etiam illas, quæ ad usum altaris quomodocumque sunt destinatæ eidem ecclesiæ tradi, ac consignari cures, ac studeas; cætera vero omnia, et singula bona, salvis tamen oneribus quindenniorum, quibus ea sunt subjecta, quæ dumtaxat erunt imminuenda, habita ratione provisionum, quæ a Nostra dataria apostolica in posterum, ut præfertur, fient, ac salvis itidem favore cujuslibet ex religiosis prædictis omnibus mobilibus, quæ veluti extantia in cujuslibet illorum respective cubiculo, vel ad illum pertinere non stet, vel etiam ei ad usum fuerant concessa, dummodo tamen, non sint, neque ea, quæ ad officium, ac munus, quo actu funguntur, pertinent, neque sint libri ad communem bibliothecam, neque chartæ, scripturæ, aut manuscripta ad familiarem monasterii administrationem quomodocumque spectantia, immobilia, ac mobilia, semoventia, domos, prædia, canones, præstationes, actiones, jura quælibet quæcumque nomine vocata, et sub quocumque genere comprehensa ad monasterium, ac ecclesiam prædictam alias quomodocumque spectantia, aut pertinentia, aut quæ in futurum quomodolibet spectare, ac pertinere poterant, piæ institutioni ad promovenda studia theologiæ, philosophiæ, ac juris civilis, et canonici, aliarumque liberalium artium, a memorato senatu reipublicæ Lucanæ erigendæ, unias, ac incorpores, et unita, ac incorporata esse decernes, atque declares.

Decernitur usque ad erectionem universitatis, bona esse describenda, et sub administratione conservanda.

§. 14. Quoniam autem hujusmodi pia institutio nondum erecta reperitur, propterea eidem fraternitati tuæ injungimus, ut interim confecto rerum omnium diligenti inventario, ecclesiasticam personam tibi benevisam in illarum administratorem, ac custodem eligas, qui omnem pecuniam, vel existentem, vel quæ ex rerum venditione, quæ servando servari non possunt, erit ratrahenda, in publicas mensas deponant, quique facta illorum deputatione, qui juxta leges, ac methodum, quam senatus prædictus eis præscripserit, dictam piam institutionem repræsentabunt, eos in veram, realem, ac actualem possessionem, seu quasi bonorum omnium mobilium, ac immobilium, et semoventium, jurium, ac actionum alias, ut præfertur, ad memoratum monasterium, ac ecclesiam sancti Frigdiani spectantium ponat, et immittat, quin ipse ulterius illorum administrationi se ingerere debeat. Hanc porro piam institutionem, quæ illud unum spectat, ut nempe ex instituta in liberalibus artibus juventute, et ecclesiæ, et statui docti, ac literati clerici, ac cives suppeditentur, ex duobus, aut pluribus ecclesiasticis ab archiepiscopo Lucano pro tempore existenti eligendis, ac ex tot nobilibus, seu patritiis a senatu prædicto eligendis, ac etiam ab alio ecclesiastico, qui moribus, ac doctrina sit spectabilis, quique primus erit inter pares, ab eodem senatu eligendo componi auctoritate, ac tenore prædictis statuimus, et decernimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 15. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod aliqui in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes vocati, citati, et auditi non fuerint consensumque præstiterint, nec causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut alio quocumque, etiam quamtumvis magno, inexcogitato, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam impetrato, quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare ullo modo posset, sed semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tem-

pore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus, seu applicationibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, et de exprimendo vero valore bonorum ecclesiasticorum uniendorum, seu applicandorum, et altera regula de jure quæsito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones, seu applicationes perpetuas, nonnisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, nec non quatenus opus sit, memoratis Leonis pp. X. prædecessoris literis, aliisque, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non ordinis, congregationis, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona julii millesimo septingentesimo octuagesimo pontificatus Nostri anno sexto.

## CCLXX.

Dat die 4 augusti 1780 Anno VI.

Confirmatur venditio, et respectiva emptio ecclesiæ, et monasterii sancti Viti, et Modesti de urbe etc.

### Pius PP. VI.

### Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Studia, ac sollicitudines, quæ a dilectis filiis fratribus ordinis Conceptionis beatæ Mariæ virginis immaculatæ Mariani nuncupatis in Polonia pro animarum Christifidelium salute, ac pro divini cultus augumento jugiter impenduntur, Nos adducunt, ut eis liberaliter concedamus, et quæ ad illorum temporalem commoditatem spectare, et quæ ad uberiores fructus juxta regularis sui instituti disciplinam in hac præsertim alma Nostra urbe magis magisque præferendos viam aperire dignoscuntur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum a procuratore generali ordinis B. M. Virginis immaculatæ Conceptionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Candidus Spourni frater ordinis prædicti expresse professus, ac ejusdem ordinis procurator generalis, quod cum alias per Nostras literas in simili forma Brevis die XXV. februarii anni MDCCLXXIX. expeditas, dilectis itidem filiis monachis ordinis Cisterciensis provinciæ Romanæ monasterium sanctorum Viti, et Modesti in hac alma urbe Nostra existens vendendi, et alienandi, ac adnexam ecclesiam diaconiam sanctorum pariter Viti, et Modesti in alios transferendi facultatem concesserimus, ac impertiti simus; hinc ipse nomine, ac de mandato præpositi generalis, aliorumque superiorum dicti ordinis monasterium prædictum cum omnibus illis adnexis emit, illiusque adnexam ecclesiam sanctorum Viti, et Modesti, sibi, ac suo ordini cum omnibus juribus, gratiis, et indultis, ac præeminentiis illi alias competentibus concedi obtinuit, ad effectum aperiendi in eo conventum, seu collegium pro religiosis ordinis prædicti, ac in eadem ecclesia ea omnia exercendi, quæ ad illorum institutum pertinent, prout in istrumento hisce desuper per acta notarii Michaelis Augustini Clementi confecto uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat memoratus Candidus nomine etiam dicti præpositi generalis, aliorumque ejusdem ordinis superiorum, ut contractus emptionis, et venditio-

nis hujusmodi, ac memorata prædictæ ecclesiæ sanctorum Viti, et Modesti concessio firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem, ac omnes memoratos fratres ordinis prædicti specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratum dicti monasterii cum omnibus illis adnexis emptionis, et venditionis contractum, nec non dictam concessionem ecclesiæ sanctorum Viti, et Modesti cum omnibus, et singulis juribus, privilegiis, ac præeminentiis, alias ad illam spectantibus a memoratis monachis ordinis Cisterciensis provinciæ Romanæ prout in instrumento hisce desuper confecto, ut præfertur factum, et respective factam, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplemus, et sanamus, ita ut monasterium prædictum, ac ecclesia sanctorum Viti, et Modesti eidem monasterio adnexa omnibus, et singulis gratiis, et indultis, quibus aliæ domus, seu conventus, et ecclesiæ fratrum ordinis prædicti utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum pari modo, salvis tamen semper juribus, ac præeminentiis cardinali diacono ejusdem ecclesiæ tituli pro tempore existenti debitis, utantur, fruantur, et gaudeant, ac in eadem ecclesia religiosi prædicti omnia divina ministeria peragere, quæ ad majorem Christifidelium utilitatem, ac divini cultus incrementum juxta memorati ordinis regulas, ac institutum spectabunt, libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit Pauli II., et aliorum Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis constitutionibus, aliisque ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ordinum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo septingentesimo octuagesimo pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 9 augusti 1780. Anno VI.

## CCLXXI.

Restauratur collegium in civitate Carpenctoratensi erectum, ac illi certæ præscribuntur leges, quibus in posterum erit administrandum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Æternæ sapientiæ consilio ad Ecclesiæ catholicæ per universum terrarum orbem diffusæ regimini, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, evecti, excitandis, promovendisque sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum studiis, per quæ depulsa ignorantiæ caligine, mentes veritatis luce illustrantur, et non minus catholicæ fidei, divinique cultus propagationi, et incremento, quod justitiæ administrationi, aliisque in publicum commodis, privatorumque utilitatibus consulitur, ubique locorum, et præsertim in civitatibus Nostro, et Sedis apostolicæ dominio in temporalibus subditis, quantum Nobis ex alto conceditur, pastoralis Nostri muneris sollicitudinem perpensa charitate adhibemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina propensis, ad omnipotentis Dei gloriam, et hujus sanctæ Sedis dignitatem, et eorumdem Nostrorum, et ejusdem Sedis in temporalibus subditorum decorem, commodum, et utilitatem salubriter in Domino expedire arbitramur.

Memoratur erectio collegii studiorum, cujus regimen tenuit societas Jesu.

§. 2. Siquidem sicut accepimus, jamdudum scilicet ab an. usque MDCVII in civitate Nostra Carpenctoratense, ut juventus ad ingenuas artes, atque scientias addiscendas, ac excolendas ardentiori studio incitaretur collegium studiorum fuit erectum, cujus regimen, ac cura juxta leges, et pacta inter tunc existentes scutiferum, et consules ejusdem civitatis ex una, et aliquot tunc vigentis societatis Jesu professores legitima facultate munitos, annuente etiam per suum vicarium in spiritualibus generalem tunc pariter existentem episcopo Carpenctoratense inita, ejusdem nunc extinctæ societatis Jesu alumnis fuit concredita, ac etiam ad hoc apta habitatione, ecclesia, et bibliotheca fuerunt instructi, subministrata iis insuper summa mille, et octingentorum aureorum monetæ Franciæ, sive quinque mille, et quadringentorum francorum monetæ tunc currentis, supellectilem comparandam communitas, ac cives Carpenctoratenses sese pactione obligarunt præstandi eidem collegio quotannis ex impositione farinarum jamdiu constituta, nec non super omnibus aliis quibuscumque bonis, redditibus, et emolumentis ad eamdem communitatem spectantibus summam mille aureorum, sive ter mille francorum dictæ monetæ initio cujuslibet trimestris æquis solutionibus rependendam, nisi forte in posterum aliquod beneficium, aut redditus, vel quævis alia bona ex industria, et labore ejusdem communitatis, et aliorum civium ipsi collegio procurarentur, vel unirentur, tunc quippe expresse cautum est, ut tantum ex prædicta summa mille aureorum detraheretur quantum ex obventis bonis collegium locupletari compertum esset.

Suppressa societate Jesu alii ecclesiastici viri præpositi fuerunt.

§. 3. Pactis, et conventionibus utrique religiose paruerunt; communitas quippe conventam præstationem solvere non destitit, ac scholæ confluenti juventuti patuere etiam postquam ejusdem societatis alumni ab ea provincia evaserunt. Immo inter primas sibi concreditæ administrationis curas venerabilis frater Joseph episcopus Carpenctoratensis ratus est primum per suum vicarium in spiritualibus generalem, deinde etiam coram enixe studere, ut circa scholas, quod probati moris erat, cumulate impleretur; hocque animo consilium ex tribus civitatis consulibus, et ex collegii præside, principali denominato compertum fuit institutum, ut collegii prædicti regimini consuleret.

Enumerantur redditus collegii.

§. 4. Verum cum experientia compertum sit juxta præsentem collegii statum illius cultum majorem censu esse, quoniam præter præmissam communitatis, et civium assignationem, unum valoris librarum quatuor mille pro erectione cathedræ philosophiæ a quondam cognominato de Insula, et alterum legatum in simili summa librarum quatuor mille in variis fundis consistentibus a quondamJosephoForneri variis temporibus respective relicta, quarum pars in summa librarum -excentum circiter cum fuerit alienata absque judiciali controversia, denuo acquiri nequibit, annuum quoque proventum librarum quadraginta pro emptione librorum in professorum usum ab eodem Josepho assignatum; ac demum quoddam fundum in loco de Monteux valoris circiter librarum mille, quo idem collegium gaudet, de cætero nulla alia bona, seu redditus, ac proventus illi sunt; ac ut communitas, ac cives integram prædictæ annuæ constitutæ præ-

stationis solutionem usque adhuc rependere non obnuerunt.

Erectio collegii auctoritate apostolica confirmatur.

§. 6. Cum autem de hisce omnibus fidelem, ac plenam exceperimus relationem a dilecto filio Nostro Lazaro Opitio tituli sancti Petri ad Vincula Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Pallavicini nuncupato status Nostri a secretis, et venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium super Avenionensi congregatione deputatorum præfecto, qui ea qua pollet ingenii vi, et virtutis præstantia, quibus in publicarum rerum cura assidue Nobis adest, suasor, ac auctor fuit, ut inter multiplices, gravissimasque supremi pontificatus sollicitudines, quibus undique premimur, ut collegium quoque illud legibus muniendum, ac bonis dotandum, mentem Nostram converterimus. Nos igitur ad constantis fidei, et sinceræ devotionis affectum, quem cives prædicti erga Nos, et Sedem apostolicam gerere comprobantur paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac ut ipsi, et juventus illuc confluens, tum in catholica religione, tum in sacris, cæterisque liberalibus artibus informentur; motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine collegium studiorum in civitate Nostra Carpenctoratense, ut præfertur, erectum, atque institutum, in quo sub regimine, ut infra constituendo, magistri, ac professores artes, ac scientias, cives non modo, sed etiam juvenes confluentes nulla prorsus mercede recepta, edoceant auctoritate apostolica harum tenore confirmamus, et approbamus, et quatenus opus sit, denuo erigimus, et instituimus, eidemque collegio, illiusque magistris, et professoribus omnia, et singula indulta, privilegia, gratias, et prærogativas a Sede apostolica alias collegiis studiorum hujusmodi elargitas pariter concedimus, et indulgemus.

Assignatio bonorum, privilegiorum, et exemptionum.

§. 7. Nec non collegio prædicto sacram ædem, domum a ministris incolendam, viridarium, ac mobilia, et supellectilia cujuscumque valoris, et generis sint, ac generaliter id omne, quod antea possidebat, et actu possidet a die extinctæ societatis prædictæ, comprehensa quoque exemptione ab oneribus communitativis juxta formam instrumenti, ut præfertur, anno MDCVII. erogati, etiamsi in præsentibus minime enuncietur, tenore, et auctoritate prædictis attribuimus, et assignamus. Ut autem stabili collegii hujusmodi manutentioni consultum sit, auctoritate Nobis unice de rebus ac bonis ecclesiarum disponendi tradita utentes, prioratum sanctæ Mariæ de Grez olim prope, et extra mœnia, nunc vero intra muros ejusdem Carpenctoratensis civitatis ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, alias per felicis recordationis Clementem pp. VIII prædecessorem Nostrum per suas literas apostolicas tertio idus decembris MDCXLVII sub plumbo datas collegio in civitate etiam Nostra Avenionensi instituto unitum, illiusque titulum, et ecclesiam, ac domum regularem, ac jura, nec non prædium italico idiomate denominatum *la Quintina* cum omnibus aliis suis adjacentiis, ac cæteris ejusdem prioratus bonis, ac fundis, non autem prioratum sanctæ Mariæ de Nazareth, seu de Pernes, ejusque bona, ac alios prioratus illi forsan alias adnexos, unitos, et incorporatos ipsarum tenore præsentium dimembramus, sejungimus, et separamus, ac ejusdem prioratus titulum, ecclesiam, domum, nec non superenunciatum prædium cum eisdem adjacentiis, et pertinentiis; nec non omnia, et singula alia bona eidem prædio *la Quintina* adjacentia, alias nomine collegii civitatis Avenionen., dum ab extinctæ societatis Jesu alumnis moderabatur, acquisita, præter annuam præstationem a communitate, et civibus, ut præfertur, constitutam, quam salvam, et illæsam, ut antea absque conditione aliqua vigere præcipimus, ac etiam præter legata, ut præfertur, relicta, annuosque redditus, ut supra assignatos, eidem collegio Carpenctoratensi, vi pariter præsentium Nostrarum literarum applicamus, et appropriamus, ac unimus, annectimus, et incorporamus. Insuper cum in primæva collegii institutione a communitate, et civibus ob publicam, quam spectarunt, utilitatem annui census civitati debiti fuerint collegio remissi, ne, immutato regimine, bonorum redditus decrescant, ideo exemptionem, et immunitatem, qua eatenus collegium gravisum fuit, Nos quoque probantes, illam auctoritate Nostra obfirmamus, et roboramus.

Designantur onera ferenda a collegio pro bonis obtentis.

§. 8. Cæterum, quia compertum Nobis fuit, prioratui Sanctæ Mariæ de Grez varia incumbere onera, quæ ex illis, et adnexorum bonorum proventu ferebantur, modo cum titulus ejusdem prioratus in collegium Carpenctoratense transferatur, quamvis non universa bo-

na, sed partim in illius commodum sint cessura, ab omnibus tamen oneribus subeundis non erit immune. Præcipimus propterea, ut onera quæcumquæ eidem prioratui sanctæ Mariæ de Grez dumtaxat infixa, quæ illius unionis causa collegium Avenionense ferebat, non vero ea, quæ ratione unionis dicti prioratus sanctæ Mariæ de Nazareth, seu de Pernes, aliorumque forsan prioratuum idem collegium Avenionense ferre constabit, deinceps a Carpenctoratensi collegio ferri debeant; e converso vero eidem Josepho episcopo, ejusque successoribus jus asserimus, servatis tamen canonicarum sanctionum regulis, salvisque reservationibus, et affectionibus apostolicis, conferendi in sua civitate, et diœcesi vicarias cum animarum cura, ac canonicatus, et præbendas, et beneficia quæcumque ab ipso prioratu sanctæ Mariæ de Grez dependentia, ac in eisdem civitate, et diœcesi existentia.

Leges servandæ pro perfecto regimine collegii.

§. 9. Satis tandem ejusdem collegii stabilitati, et profectui minime esset consultum, nisi illius regimen certis legibus firmaretur; quare illas in infrascriptis articulis complectentes integre observari præcipimus, et mandamus.

ARTICULUS I.

De auctoritate episcopi

§. 10. Episcopus Carpenctoratensis ejusque vicarius in spiritualibus generalis pro tempore auctoritatem habeat privativam, et absolutam invigilandi supra mores, religionem, doctrinam tam relate ad discipulos, quam ad præceptores, et collegii ministros, contra quos etiam procedere possit secundum circumstantias, eos nempe puniendo, dimittendo e collegio, ex gymnasiis expellendo; nemine ex infra instituendæ congregationis administris ad sententiam vocato.

ARTICULUS II.

De congregatione deputanda.

§. 11. Ut hujus collegii regimini, et administrationi provido, et perenni consilio sit consultum, congregatio juxta illius regionis vocabulum *Bureau* denominanda ab episcopo instituatur, illaque ex eodem episcopo, et rectore pro tempore ejusdem civitatis, comitatusque Venayssini, ac ex primo consule, et ex collegii immediato moderatore principali nuncupando constet. Addatur, qui a secretis munere fungens acta omnia, et resolutiones scriptis tradat.

ARTICULUS III.

De vicario generali.

§. 12. Absente episcopo, vicarius generalis illius vices repræsentet, ac tunc tamquam dignior sedem episcopi rector tenebit, et vicario generali, quæ debebatur rectori, sedes assignabitur.

ARTICULUS IV.

De rectore, et vice-rectore.

§. 13. Absente rectore; vices ejus gerat vice-rector, sique eodem tempore deerit episcopus, illius vicarius congregationis præses erit. Deficiente pariter primario consule, secundus ejus implebit locum.

ARTICULUS V.

De congregatione cogenda.

§. 14. Hæc administrationis congregatio semel in mense, die tamen fixa cogetur, sæpius etiam quotiescumque præses opportunum arbitrabitur, unumquodque membrum, seu administrator certior fiet præcedenti die ex epistola, administer a secretis ei diriget præside tamen mandante.

ARTICULUS VI.

De præside.

§. 15. Prævio nuncio, licebit præsidi negotia peragere cum præsentibus, etiamsi non omnes intersint.

ARTICULUS VII.

De loco cogendæ congregationis.

§. 16. In aula collegii habeatur congregatio, quoties administratores, ex aliqua circumstantia, habendam alio in loco minime putarent.

ARTICULUS VIII.

De administris eligendis, et eorum munere

§. 17. In primo eorum cœtu, seligendi erunt duo administri, unus nempe a secretis, et alter redditum quæstor, ille, qui publicus pontificia auctoritate tabellio etiam sit; in codice, in quo primum præsentes literæ cum legibus in hisce sancitis referri debeant, deinceps ordine omnes congregationis deliberationes transcribat; hic vero proventus collegii exigere curabit, datique, et accepti rationem erit redditurus.

ARTICULUS IX.

De a secretis.

§. 18. A secretis de omnibus actibus ad collegium pertinentibus fidem præbebit, scripturasque omnes, quæ eidem collegio quomodolibet spectant, tamquam custos servabit.

## ARTICULUS X.

De archivio servando.

§. 19. Pro majori scripturarum hujusmodi custodia habeat idem collegium archivium duabus seris dissimilibus clausum, quarum claves una penes a secretis, altera penes administratorem a congregatione eligendum servetur.

## ARTICULUS XI.

De custodia scripturarum.

§. 20. Hæ scripturæ nemini consignentur absque consensu congregationis, et a quibus eæ tradentur cum onere restitutionis, fides receptionis exaretur.

## ARTICULUS XII.

De deliberationibus capiendis.

§. 21. Deliberationes capiantur ex votorum pluralitate. In casu tamen æqualitatis eorumdem, præses præponderantiam habebit; quoties vero scripturæ sint in regestro, ab omnibus, qui intererunt, administratoribus subscribi etiam debebunt.

## ARTICULUS XIII.

De negociis absente episcopo non peragendis.

§. 22. Peragenda alicujus momenti negocia non proponantur, absente episcopo, absque necessitate, aut saltem nisi ille sive voce, sive scripto certior factus sit, dummodo ejus absentia pro suo munere visitationis ad limina, vel aliis de causis valde longa non foret.

## ARTICULUS XIV.

De munere congregationis

§. 23. Congregatio consulet iis omnibus, ad quæ regimen temporale pertinet, ac etiam selectui principalis, a secretis, aliorumque officialium approbationi quoque, atque reprobationi præceptorum, methodo circa studia, classiumque disciplinam; collegii interiori nitori, vacationibus sive ordinariis, sive extraordinariis, œconomicæ, ac temporali bonorum administrationi, præmiis, cum opus fuerit, meritorum alicujus remunerationi ( abusu tamen in hac re semper reprobando ), ac generaliter iis omnibus; quæ ad majorem collegii utilitatem, optimamque juvenum educationem erunt profutura, reservata tamen super hisce penes episcopum auctoritate, ut in articulo primo videre est.

## ARTICULUS XV.

De specialibus facultatibus præsidis.

§. 24. Non obstante depositione in articulo præcedenti facta, facultatem præses habeat impertinendi per se ipsum, suoque met nomine aliquam vacationem in casibus peculiaribus, qui præcedenti in consilio neutiquam fuissent prævisi.

## ARTICULUS XVI.

De præside collegii aligendo inter digniores ecclesiasticos.

§. 25. Principalis in collegio cunctis præsidens, a quo dependent professores, et administri, vel sacerdos erit, aut saltem in ecclesiasticum ordinem adscitus. Innuet ipse rationes studiorum artium, scientiarum, et facultatum; studentium classium divisiones; seliget quoque lectores, quæ tamen omnia congregationis judicio, ut ab ea approbentur subdere debebit; recto item rerum ordini, collegii demandatæ munditiæ, classium disciplinæ, præceptorum obligationum adimplemento, juvenum educationi sedulo, et assidue invigilare debebit, ac demum in consilio referet difficultates suborientes, ut cito opportuna adhibeantur remedia, cumque dilectus filius Joannes Franciscus De Gros presbyter usque modo laudabiliter collegio præfecerit, ipse absque nova electione principalis instituatur, et sit.

## ARTICULUS XVII.

De jure condendi regulas, pro collegii ac curata administratione.

§. 26. Penes hujusmodi congregationem plena facultas sit regulas edendi pro collegio accurate regendo necessarias, atque opportunas, nec non pro iis ad ejusdem collegii tam internum, quam externum regimen, et disciplinam quomodolibet pertinentibus.

## ARTICULUS XVIII.

De iis qui a consilio sunt dispensandi in negocii pertractatione.

§. 27. Si aliquid in congregatione circa principalis personam sit peragendum, ille a consilio se abducet, ut deliberandi libertas non lædatur.

## ARTICULUS XIX.

De distributione præmiorum

§. 28. Denique cum consules Carpenctoratenses consueverint annis singulis publice præmiis afficere discipulos illos, qui ob progressum in scientiis, et morum probitatem inter cæteros distinguerentur, et in hunc usum centum francos impendere, civitati integrum sit hanc prosequendi consuetudi-

nem, illiusque consulibus distributionem peragendi. Præmissæ sane leges, quas juxta datam Nobis a Domino prudentiam tulimus, vim habere, atque plenissime observari debent. Ut prospere, feliciterque regatur, administreturque collegium, idoniores adniscantur præceptores, ad scholas frequentius accedant juvenes, atque inibi religionis, et pietatis itidem, ac scientias addiscant, ac demum optimi cives, et qui in sortem Domini vocati fuerint egregii catholicæ veritatis, et ecclesiasticæ disciplinæ assertores, ac vindices instituantur. Id unum propterea superest, ut idem Joseph episcopus, ejusque successores, ac inter cives, qui ad munera administrationis collegii pro tempore selecti fuerint summa animorum consensione, qua res cunctæ servantur, et augentur, in bonum collegii operam eis demandatam assidue curent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 29. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 30. Non obstantibus quatenus opus sit memorati Clementis pp. VIII. prædecessoris literis anno MDCXLVII. sub plumbo datis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, aliisque ordinationibus apostolicis, nec non dictorum collegiorum Avenionensis, et Carpenctoratensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXXII.

Dat. die 8. augusti 1780 Anno VI.

Dismembratio viginti parochialium ab episcopatu Quinque Ecclesiense, et decem ab episcopatu Zagabriense, earumque incorporatio ecclesiis Bosnensi, et Syrmiensi invicem unitis.

Pius episcopus servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium

§. 1. Iterata personarum regia potestate fulgentium pro Christifidelium spirituali bono huic exhibita Sedi apostolicæ studia excitant ultro paterna viscera Nostra, ut quæcumque per eas circa nonnullarum diœcesum implicatos limites rite disponendos pro meliori spiritualis administrationis commodo laudabili zelo excogitata, ministerio apostolicæ potestatis ad expetitum perducantur effectum.

Expositio preces porrectarum a regina apostolica

§. 2. Cum itaque nuper charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Bohemiæ, et Hungariæ regina apostolica Nobis exposuerit, quod dum ipsa saluberrimo rite disponendarum diœcesum regni Hungariæ, et respective provinciarum illi annexarum operi intenderet, perspexit quoque limites tum Quinque Ecclesiensis ac Bosnensis, et Syrmiensis invicem unitarum, tum etiam Zagabriensis respective diœcesum in aliqua eorum parte adeo implicatos esse, ut illos in ordinem redigere, atque administrationi spirituali magis accommodos reddere pro catholicæ religionis bono valde opportunum, ac necessarium fore videatur.

Descriptio status diœcesum ordinandarum.

§. 3. Cum enim QuinqueEcclesiensis diœcesis prædicta limites inter Bosnensis, et Syrmiensis diœcesum hujusmodi ita se diffundere comperiatur, ut

easdem penitus separet, congruum magis, ac facilius evadit, ut districtus QuinqueEcclesiensis hujusmodi, inter Bosnensem, et Syrmiensem diœceses prædictas in uno continuo situs per episcopum Bosnensem, et Syrmiensem potius in spiritualibus administrari possit, quam per episcopumQuinqueEcclesiensem, qui jam in ea districtus hujusmodi parte ob situs distantiam unum vicarium foraneum deputare solitus fuit, non secus ac diœcesis Zagabriensis limites ad fluvium Savum ita vicini esse diœcesi adjiciendos omnis ratio melioris obtinendi curæ animarum dilectorum filiorum parochianorum ipsarum parochialium ecclesiarum exercitii suadeat, proindeque cum dicta Maria Theresia regina apostolica cunctis incommodis hac in parte obventuris obviare cupiens enixas Nobis preces porrexerit, quatenus infrascriptas parochiales ecclesias tam a diœcesi Quinque Ecclesiensi prædicta, cui alias seu nuper plures parochiales ecclesiæ in Baranyensi, et Tolnensi comitatibus respective comprehensæ, prævia illarum dismembratione a diœcesi Strigoniensi, ad quam antea spectabant, apostolica auctoritate facta, eadem apostolica auctoritate unitæ extiterunt, quam a diœcesi Zagabriensi de consensu venerabilis fratris Nostri moderni episcopi Zagabriensis, ac dilectorum etiam filiorum modernorum capituli, et canonicorum cathedralis ecclesiæ Quinque Ecclesiensis illius sede episcopali vacante, seu dilecti pariter filii vicarii ab eisdem capitulo, et canonicis legitime deputati perpetuo ut infra dismembrare, illasque sic dismembratas Bosnensi et Syrmiensi diœcesibus prædictis perpetuo etiam, ut infra, adijcere et incorporare, aliaque infrascripta concedere, et ordinare dignaremur.

Approbantur quæ a regina catholica disposita sunt.

§. 4. Nos igitur præmissis omnibus matura deliberatione perpensis, et in spem quod hujusmodi dispositio fidelium animarum saluti plurimum conferre possit, tam pia vota ipsius Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ obsecundare volentes motu-proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine a diœcesi Quinque Ecclesiensi prædicta in comitatu scilicet Syrmiensi unam Tavarni Kiensem, ac aliam Kukjeuzensem, ac aliam Janhouezensem, ac aliam Lovasziensem, ac aliam Nustarinensem, ac aliam Sarengradensem, ac aliam Sottinensem, ac aliam Sordinezensem, ac reliquam Valkovariensem parochiales et matrices ecclesias; in comitatu autem Veroczensi unam Erdödensem, ac alteram Tenyensem respective nuncupatas parochiales ecclesias respective sitas cum suis respective filialibus ecclesiis apostolica auctoritate perpetuo dividimus, et dismembramus, in modum tamen, ut cum limitibus circiter a parochiali ecclesia Erzekiensi usque ad Diakovar ductis loca Sepin, et Reufalu iisdemque adjaceant, et ad omnem quæstionem inter hujusmodi diœceses in posterum removendam locus Sepin prædictus diœcesi Quinque Ecclesiensi remaneat, alter vero locus Reufalu supradictus ob nimiam ejus cum ipso loco Erzekino vicinitatem diœcesi Bosnensi prædictæ attributus existat.

Constituuntur ecclesiæ parochiales matrices, et filiales.

§. 5. Ac ulterius ab eadem diœcesi Quinque Ecclesiensi in confiniis militaribus unam similiter Vinkouezensem, ac aliam Tuvankovensem, ac aliam Czernaensem, ac aliam Xupanyaensem, ac aliam Ottokensem, ac aliam Nemezensem, ac aliam Drenouezensem, ac aliam Kacsinouczensem, ac reliquam Morovichensem etiam respective parochiales et matrices ecclesias consistentes, cum suis quoque respective filialibus ecclesiis apostolica auctoritate prædicta itidem perpetuo seiungimus, et separamus, illasque sic sejunctas, et separatas eisdem Bosnensi et Syrmiensi diœcesibus dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque adjungimus, et incorporamus, ac simili modo a dicta Zagabriensi diœcesi in eisdem pariter militaribus confiniis unam videlicet Schamaczensem, ac aliam Kopaniczensem, ac aliam Gerchinensem, ac aliam Brodensem, ac aliam Dubounikensem, ac aliam Verhouinensem, ac aliam Poduiniensem, ac aliam Szibiniensem respective etiam existentes parochiales, et matrices ecclesias cum suis itidem respective filialibus ecclesiis eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo dividimus, et segregamus, ea tamen lege quod etsi ad prædictas Dubouikensem et Verhouinensem parochiales ecclesias tres filiales ecclesiæ ex comitatu Posegano et dominio Pletternicznunct alias spectaverint, ad præsens tamen parochiali ecclesiæ Ruscheuiensi in eodem comitatu Posegano existenti attributæ reperiuntur eam ob causam intra limites diœcesis Zagabriensis ultro quoque remanere debeant, nec non ad parochialem ecclesiam in Sabinij ecclesia actu filialis ex Gradisvano regimine; e converso vero ad parochialem ecclesiam in Dubochacz Gradisvani etiam regiminis spectent duæ filiales ecclesiæ ex Brodensi

Zbig, et Schumecze, quæ pro inde quoad naturam filialium retinuerint ad matrices suas ecclesias ex nunc, deinceps codem modo applicatæ remaneant hoc insuper adiecto, quod sicuti uno aliorum diœcesanorum limitum dispositionibus, ita etiam præcedens dismembratio ad ipsas solum parochiales non autem territoriales limites respexerit, ideoque loca hujusmodi tantum speciatim denominaverit.

Providentiæ circa decimales proventus.

§. 6. Præmissa autem hujusmodi dismembratione, et limitum diœcesanorum prædictorum dispositione, ut præfertur facienda cum sicut accepimus in districtibus a dicta Quinque Ecclesiensi diœcesi, ut præfertur, dismembratis nonnulli decimales proventus ad eamdem Quinque Ecclesiensem diœcesim spectantes hactenus percepti, et respective juxta ibidem vigentem consuetudinem inter episcopum, illiusque cathedralem ecclesiam, nec non capitulum, et canonicos, ac seminarium ecclesiasticum Quinque Ecclesiense divisi fuerint; in posterum autem attenta cura animarum relate ad districtus hujusmodi translationem ad eamdem Bosnensem, et Syrmiensem dieceses prædictas, ut præfertur, facta eorsum amplius pertinere nequeant, Idcirco universas decimas hujusmodi in eodem districtu antea ad ipsam QuinqueEcclesiensem diœcesim, ut præfertur, pertinente ab eadem diœcesi QuinqueEcclesiensi, illiusque ecclesia, episcopo, capitulo, et seminario prædictis ad quos ad præsens, ut præfertur respective spectant, et a quibus hactenus perceptæ fuerunt, attenta potissimum eorum cujuslibet locupleti dotatione apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo detrahimus, et dismembramus, illasque sic detractas, et dismembratas pro eo quod, ut etiam accepimus, in Bosnensi, et Syrmiensi diœcesibus prædictis solum adest episcopus, qui congruam suam constitutam habeat; in reliquis vero ecclesia cathedralis, et seminarium videlicet omni prorsus dotatione destituantur, capitulum vero exiguis sit proventibus provisum eisdem Bosnensi, et Syrmiensi diœcesibus ob id dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo attribuimus, ea tamen conditione, ut ex eisdem decimis sic dismembratis, et respective attributis quatuor æquales portiones efficiantur, quarum una cedat cathedrali ecclesiæ prædictæ, ac alia clero juniori in seminario generali cleri regni Hungariæ Budæ ratione hujus diœcesis educando, ac in subsidium aliqua etiam in parte emeritorum parochorum præter nonnullas capitales summas, quas jam prius hoc titulo pro sua diœcesi fundatas habuit, nec non cum alia capitali summa decem mille florenorum monetæ illarum partium ex peramplis capitalibus seminarij ecclesiastici Quinque Ecclesiensis ad hujus diœcesis junioris cleri meliorem subsistentiam translata: reliquæ vero duæ residuales portiones decimarum hujusmodi capitulo Bosnensi prædicto dentur, seu adsignentur sub conditionibus tamen in ipsis fundationalibus literis ab eadem Maria Theresia regina apostolica desuper expeditis latius contentis, et expressis cum hoc quod universæ decimæ prædictæ per ipsum capitulum dictæ cathedralis ecclesiæ Bosnensis in fines supradictos, sub impertitione tamen, et directione ordinarij loci, et ad tramites dictarum literarum fundationalium accurate reddendæ administrari debeant.

Dispositiones circa redditus seminarii et ecclesiæ cathedralis.

§. 7. Ceterum Bosnensi, et Syrmiensi diœcesibus hujusmodi sic, ut præfertur, dispositis cum adhuc, ut pariter accepimus, pro dicta cathedrali ecclesia Quinque Ecclesiensi, illiusque seminario prædicto, et episcopo ipso pingues redditus remaneant, Nos idcirco eadem apostolica auctoritate constituimus, atque decernimus, ut ex superfluis redditibus prædictis ecclesiæ hujusmodi orphanorum etiam educationi, nec non pauperibus parochiis, et ecclesiis, scholis item vernaculis, ac emeritorum parochorum convenienti substentationi pro majori orthodoxæ religionis bono quantum liceat prospici debeat, proprietate tamen bonorum semper penes cathedralem ecclesiam Quinque Ecclesiensem prædictam remanente; parique modo, ut non solum redditus seminarij Quinque Ecclesiensis prædicti in eumdem itidem finem impendantur, sed etiam per episcopum Quinque Ecclesiensem ex bonis ad ejus episcopalem mensam spectantibus prædictis ecclesiis, ac parochis, et scholis pariter præter incumbentem alioquin jurispatronatus obligationem ad formam literarum fundationalium hujusmodi sufficienter etiam debeat provideri.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 8. Decernentes quoque præsentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis ju-

ridica, et legittima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invalidatis vitio, vel intentionis Nostræ quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili, juridica, legittima, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

§. 9. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausula sublata.*

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo valore, etiam de quibuscumque fructibus ecclesiasticis, ac Lateranensis concilii, novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum validis *Derogatio contrariorum.*

simum effectum specialiter et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine singularibus, harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ divisionis, dismembrationis, sejunctionis, separationis, adjunctionis, incorporationis posterioris, divisionis, segregationis, detractionis posterioris, dismembrationis, attributionis, constitutionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis dominicæ millesimo septingentesimo sexto idus augusti pontificatus Nostri anno septimo.

---

Dat. die 10. augusti 1780. Anno VI.

## CCLXXIII.

Reintegratio episcopatus Varadiensis, et applicatio bonorum pro mensa episcopali cum suis privilegiis, et exemptionibus.

Pius episcopus servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ingeniosa personarum regia potestate fulgentium sollicitudo in procurandis præsulum ecclesiarum majoribus prout dignitas ipsa pontificalis exigit commoditatibus Nos adeo trahit, et allicit, ut ea, quæ ab illis tam provide sunt disposita denique ad optatum perducamus effectum.

Providentiæ captæ a regina Bohemiæ, et Hungariæ pro nonnullis sedibus episcopalibus, et archiepiscopalibus Hungariæ.

§. 2. Cum itaque nuper charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Bohemiæ, et Hungariæ regina apostolica Nobis exposuerit, quod ipsa quæ jam pluribus ab hinc annis archiepiscopatus, et episcopatus in regno Hungariæ prædictæ consistentis ab apostolica Sede in aliqua eorum respective diœcesum portione perpetuo dismembrari, et ex portionibus diœcesum hujusmodi sic dismembratis novos episcopatus erigi, et jam erectos ita ordinari curavit, ut relictis pro respectiva eorum mensa episcopali sufficientibus annuis redditibus ex iis, qui superflui videbantur, tam respectivorum diœcesanorum, quam etiam aliorum tunc occurrentibus necessitatibus pro catholicæ religionis utilitate prospiceretur.

Describitur status episcopatus Varadiensis.

§. 3. Nunc vero habeat in votis episcopatus quoque Varadiensis, qui olim florentissimus erat, sed deinde hæretica pravitate grassante, variisque succedentibus bellorum motibus destructus, duobus pene sæculis desertus erat, postmodum vero per claram memoriam Leopoldum dum viveret Romanorum imperatorem, et Hungariæ prædictæ regem postliminio restitutus, et ab eo inde tempore diversimode dispositus extitit, hac eadem occasione in ordinem etiam reducatur. Quandoquidem paucis annis post dicti episcopatus Varadiensis restitutionem jure postliminii, ut præfertur, factam hujusmodi sub claræ etiam memoriæ Carolo hoc nomine *Sexto* similiter Romanorum imperatore, et Hungariæ prædictæ rege circa annum Domini millesimum septingentesimum trigesimum tertium statutum fuit, ut ex redditibus bonorum episcopalium Varadiensium septemdecim millia florenorum monetæ illarum partium mensæ episcopali Varadiensis, tamen cederent; residui autem proventus in bonum ipsius catholicæ religionis, et præsertim diœcesis Varadiensis pro illius videlicet parochialibus, aliisque ecclesiis, nec non scholis, ac clero, tam Latini, quam Græci ritus catholicorum converterentur. Quare iidem residuales proventus in eumdem finem ad capsam parochorum nuncupatam in bonum religionis orthodoxæ suapte natura destinatam sequenter annue ex tunc fuerunt illati, et per ipsum episcopum Varadiensem sub rationis redditione per archiepiscopum Colocensem, uti metropolitanum eidem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ facienda in necessitates ipsius diœcesis Varadiensis erogati extiterunt.

Expostulatur reintegratio episcopatus

§. 4. Ac demum, recensioribus temporibus ex iisdem residualibus redditibus quota triginta quatuor mille florenorum ab eodem episcopo in capsam piam pariter nuncupatam annuatim administranda fuit constituta ea semper sub lege, ne pro mensa episcopali prædicta, ultra dictam summam septemdecim millium florenorum hujusmodi destinaretur, eoque modo plures quidem, ex tunc Varadienses episcopi se gesserunt. Ne autem præmissa ultra, et in incertam fluctuarent, postquam interea temporis in dicta diœcesi Varadiensi novus Græco catholicus episco-

patus ejusdem nominis apostolica auctoritate perpetuo erectus, et institutus, ac pro hujusmodi diœcesi Græco-catholica emensa dos ad fundum dicti episcopatus, qua prius, tam Latinum quam Græco-catholicum populum radicata est in hoc, et pro stabili providendum.

Tenor decreti reintegrationis.

§. 5. Ut propterea quæ dicta Maria Theresia regina apostolica, prævia tum dilectorum filiorum modernorum capituli, et canonicorum ecclesiæ Varadiensis, illius sede episcopali vacante, legitime deputati, quam venerabilis fratris Nostri moderni episcopi Varadiensis Græco-catholici respective informatione enixe Nobis supplicaverit, quatenus infrascripta per ipsam Mariam Theresiam reginam apostolicam pro catholicæ Ecclesiæ utilitate provide disposita concedere, et ordinare dignaremur. Nos igitur habita prius de hoc matura deliberatione tam pio voto ipsius Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ annuere volentes motus proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine ex bonis et juribus possessionariis eidem episcopatui Varadiensi jure postliminii, olim ut præfertur restitutis dominium Magno-Varadinense nuncupatum, quod sicut accepimus amplissimis redditibus provisum est cum universis decimis ad eumdem episcopatum olim pertinentibus, exceptis tamen illis, quæ in reliquis tribus scilicet Beleniies, ac Bel, et Vasko respective nuncupatis dominiis episcopatui dependebant, seu debebantur. In futurum autem ad eos ad quos dominia hujusmodi juxta ea, quæ inferius commemorabuntur percipientur pro tempore existenti episcopo Varadiensi Latini ritus apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, et attribuimus.

Leges peculiares super distributione redituum.

§. 6. Ea tamen lege, ut retentis annuatim viginti mille florenis Rhenensibus pro suæ mensæ episcopalis sumptibus, ac præterea quatuor mille florenos singulares in provisionem parochialium, aliarumque ecclesiarum; nec non scholarum utriusque ritus catholicarum in primodicto dominio existentium juxta eamdem dispositionem predictæ Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ convertere; eaque insuper ratione singularibus oneribus, quæ eidem episcopo uti domino terrestri, ac patrono incumbunt satisfacere teneatur. Alios vero quinque mille florenos pares in conservationem sanctorum tectorum, atque ædificiorum episcopalium, aliasque necessitates erogare, ac demum mille florenos singulares in expensas consistorij sui episcopalis Varadiensis, et sanctæ Sedis ex redditibus primodicti dominii impendere obligatus existat. Quæ quidem universa onera sic imposita summam annuam triginta millium florenorum similium efficiunt, et quidquid ultra præscriptam summam hujusmodi triginta millium florenorum parium ex ipsius primodicti dominii proventibus juxta calculum assumptum superesse solet, illud ita repartitum sit, ut aliunde ecclesiæ cathedrali Varadiensi, atque illius deservitoribus, nec non seminario junioris cleri, ac emeritis deficientibus parochis, aliisque diœcesis Varadiensis prædictæ necessitatibus satis provisum sit, et non exigua etiam summa remaneat, quæ ad fundum studiorum, atque scholarum regni Hungariæ prædictæ pro mutuatis ex illo in Orthodoxæ religionis utilitatem, dictæque diœcesis Varadiensis necessitates occurrendas nonnullis capitalibus summis, nec non ad capsam parochorum annuatim numerari debeat, prout in literis fundationalibus, et respective dispositivis prædicti episcopatus Varadiensis plenius continetur.

Unio diœcesum.

§. 7. Cum vero vicariatus Græci ritus catholicorum Varadiensium in episcopatum Varadiensem ejusdem Græci ritus, ut præfertur, erectus, diœcesisque prædicta Varadiensis, in duas proinde diœceses pro duplici fidelis populi ritu hujusmodi divisa sit, et attento quod vicariatus Varadiensis hujusmodi, antea quoque cum suo clero, suisque parochiis, et scholis ex fundo ipsius Varadiensis episcopatus dotatus extitit, ita ne in posterum post separationem, ut præfertur, factam quæstio aliqua oriatur. Nos propterea ex bonis dicti Varadiensis episcopatus dominium Belenijes eidem episcopatui Varadiensi Græci ritus hujusmodi dicta apostolica auctoritate perpetuo applicamus, et incorporamus; ad hoc tamen ut ex ejusdem dominii sic applicati redditibus et proventibus tam congrua illius episcopalis mensæ ad formam literarum apostolicarum supradictarum erectione dicti episcopatus Græci ritus hujusmodi expeditarum constitui, quam pro capitularibus illius cathedralis ecclesiæ respective portiones, aliæque, diœcesis Varadiensis Græci ritus prædicti necessitatibus prout in dicto instrumento, ac literis fundationalibus prædictis clarius dicitur exprimi provideri debeant, ac etiam portio alia ad capsam parochorum hujusmodi annuatim in

alios pios dictæ religionis Orthodoxæ, ac propagandæ sacræ unionis usus impendenda administranda remaneat.

Consulitur ecclesiis parochialibus, et sacræ unioni.

§. 8. Cumque insuper prædicta Maria Theresia regina apostolica Nobis subjunxerit, quod in designando prædicto dominio Belenijes eidem Græco catholico episcopo Varadiensi ipsa Maria Theresia regina apostolica inter cœtera perpendit, quod cum in dicto dominio Beleniies parochialis ecclesia Græco catholica, et populus cum Romana Ecclesia unitus existant, majori tamen in parte dominium ipsum refertum sit populo alias quidem unito, verum posterioribus temporibus ad schismaticorum errores prolapso idem proinde Græco catholicus episcopus in medio eorum positus, et dominium etiam terrestrale exercens occasionem peropportunam habiturus sit, tam illum qui in sacra unione existit populum melius confirmandi, quam vero illum, quia comunione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ descivit facilius ad ovile Christi, unitatemque fidei catholicæ reducendi.

Applicatio dominiorum, Bel, et Vasko nuncupatorum.

§. 9. Idcirco hac ratione sufficienti provisione pro utriusque ritus catholico episcopatu Varadiensi facta cum ultra hæc tertio loco, ut etiam accepimus, duo minora dominia scilicet Bel, et Vasko nuncupata hujusmodi æque ad dictum episcopatum Varadiensem spectantia remaneant. Nos proinde juxta vota ipsius MariæTheresiæ reginæ apostolicæ ea quidem ab episcopatu Varadiense licet per præsentes non separemus, verum sicuti, ut etiam accepimus, perdictum Carolum imperatorem, et regem optime statutum fuit, ut superflui a mensa episcopali et necessitatibus dictæ Varadiensis diœcesis proventus ad capsam parochorum hujusmodi, ac in bonum dictæ catholicæ religionis, signanter pro sacra unione prædicta promovenda administrarentur, ob id apostolica auctoritate prædicta statuimus, atque decernimus, ut eorumdem duorum dominiorum quoad eumdem episcopatum spectantium proventus annuatim ad dictam capsam parochorum administrantur, et respective in varios pios usus, ac præsertim pro eadem sacra unione promovenda, nec non in seminarij junioris cleri Græco catholici in civitate Viennensi Austriæ ad sanctam Barbaram fundati substentationem, variasque diœcesum Munkacsiensem, et Orisiensem itidem Græco catholicarum necessitates juxta itidem instrumentum fundationale respective debeant erogari.

Omne juris remedium tollitur, adversus executionem literarum.

§. 10. Decernentes quoque easdem præsentes perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quamtumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quopiam alio quamtumvis substantiali, substantialissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, aut quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliave ratione, vel causa, etiam quamtumvis justa, rationabili, legittima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius nullibi appareret, seu alias probari possit, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse; neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ex quibusvis causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum qui-

busvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, vel in posterum edendas comprehendi; sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Sicque, et non alias, per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo valore etiam de quibuscumque fructibus ecclesiasticis, ac Lateranensis concilij novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure præmissis fieri prohibentis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod ratione applicationis prædictæ nulla reductio taxæ dictæ ecclesiæ Varadiensis in futuris illius vacationibus prætendi possit.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis, attributionis, applicationis, incorporationis, statuti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo, sexto idus augusti, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXXIV.

Dat. die 22. augusti 1780 Anno VI.

Extensio facultatum pro cappellano majori pro tempore existenti exercituum reginæ Hungariæ apostolicæ, et Bohemiæ illustris

Venerabili fratri Josepho archiepiscopo episcopo Montis Falisci ad carissimam in Christo filiam Nostram Theresiam Hungariæ apostolicam, et Bohemiæ reginam illustrem Nostro, et apostolicæ Sedis cum potestate legati de latere nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis

§. 1. Cum alias per Nostras literas in simili forma Brevis die xii octobris MDCCLXXVIII. expeditas venerabili fratri Henrico Joanni episcopo Neostadiensi cappellano majori, ac aliis cap-

pellanis majoribus pro tempore existentibus, dummodo episcopali charactere essent insigniti, exercituum carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Theresiæ Welburgæ, Hungariæ reginæ apostolicæ, nec non Bohemiæ reginæ illustris in Romanorum imperatricis electæ viduæ plures facultates impertiti simus, ut magis magisque, cum animarum Christifidelium illius curæ concreditarum salute, ac divini cultus augumento sibi commissum munus exercere possit, fraternitati tuæ per præsentes committimus, ut tamquam a Nobis, et Sede apostolica delegatus memorato episcopo Neustadiensi, ac aliis cappellanis majoribus pro tempore existentibus, dummodo episcopali charactere sint insigniti, infrascriptas facultates, nempe exercendi, ac utendi omnibus facultatibus, quoad exercitus prædictos extra Italiam tamen commorantes, quæ illi veluti unius tantum diœcesis episcopo competunt, erigendi in ecclesiis militaribus, parochialibus, unum altare privilegiatum, indulgendi apostolicam benedictionem in articulo mortis, aliasque personas, quæ castra sequantur ad id subdelegandi, ac demum dispensandi in esu carnium etiam in quadragesima, diebus sabathi, et quatuor primis diebus majoris hebdomadæ quoad milites gregarios a decurione, seu sargente deorsum tantum auctoritate Nostra apostolica tribuas, ac impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisquæ contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod non obstantibus prærogativis cappellano majori tenore præsentium per te impertiendis semper illæsa remaneant Nostri, et apostolicæ Sedis nuntii pro tempore existentis jura, quibus quoad hunc cappellanum majorem uti debeat, prout quoad alios episcopos civitatum eidem Mariæ Theresiæ reginæ subditarum uti censuerit. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda augusti millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

## CCLXXV.

Dat. die 19 augusti 1780 Anno VI.

Assignatio, et translatio plurium locorum montium urbis favore monasterii sive congregationis Piarum Operariarum Immaculatæ Conceptionis in civitate Asculi in Piceno.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

§. 1. Charitatis zelus, quo erga dilectas in Christo filias pias operarias, seu oblatas sub invocatione beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ in civitate Nostra Asculana existentes, ex quarum quidem vitæ istituto puellarum ætas, quæ ad mundi voluptates sequendas prona est recte instituitur, ac a teneris annis ad pietatem, ad religionem, et ad christianam vitam illæ solerter informantur, afficimur, Nos excitat, ut quemadmodum alias ea, quæ ad spiritualem illarum in via Domini progressum spectare visum est, intentis studiis curare non omisimus, sic etiam, quæ ad temporale earumdem commodum conducere dignoscuntur, impensis sollicitudinibus animum Nostrum intendamus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Memoratur pia dispositio Jacobi De Comitibus civis Asculani super erogatione sum hereditatis.

§. 2. Alias siquidem, sicut nuper accepimus, bona memoria Jacobus de Comitibus civis Asculanus in suis testamentariis tabulis sub die prima augusti 1730 per acta Nicolai Taddei notarii Florentini, nec non in suis epistoliis, seu cedulis, sic ab ipso nuncupatis sub diebus 25 augusti ejusdem anni 1730, et 17 decembris 1727 respective conscriptis, et signatis ex asse hæredem instituit animam suam, voluitque propterea annuos sui patrimonii redditus in præscripta pia opera distribui, ac erogari, deputatis in executores testamentarios superiore pro tempore existente certi tunc determinati conventus civitatis Asculanæ, præfecto congregationis nobilium in ecclesia sancti Venantii erectæ, ac primo assistente ejusdem congregationis. Inter hæc porro opera pia, ut in conventu nunc sancti Dominici civitatis prædictæ cathedra rhetoricæ cum annuo assignamento scutorum sexagintorum monetæ Romanæ erigeretur, ac, ut quotannis a prædictis exequutoribus testamentariis unus locus montium urbis emeretur præscripsit, et ordinavit, prout in dicto testamento, ac cedulis

supra indicatis uberius dicitur contineri.

Commutatur pia dispositio, et applicantur bona monasterio Piarum operariarum.

§. 3. Insuper, sicut pariter accepimus, post obitum memorati testatoris fuit apostolica auctoritate annua præstatio scutorum similiter sexagintorum dilectæ in Christo filiæ Franciscæ de Comitibus, quoad vixerit, ex redditibus dictæ hæreditatis assignata. Verum cum prædicta cathedræ rhetoricæ erectio parum necessaria, ac proficua videatur, et patrimonium memorati Jacobi nova singulis annis non indigeat unius loci montium emptione, nec non assignata annua præstatio vitalitia scutorum sexagintorum, ut præfertur, memoratæ Franciscæ in alios pios usus post ejus mortem sit eroganda; hinc Nos ea, qua pollemus auctoritate, hujusmodi pia opera, vel omnino, vel in parte hæreditarios fructus assignare, claris Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum, etiam quoad hanc ipsam hæreditatem de Comitibus, qui alias dismembratis quampluribus locis montium ea conservatorio orphanarum Asculi assignarunt, exemplis inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, memoratum testamentum, ac cedulas Jacobi de Comitibus præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et specificatis habentes, prævia suppressione cathedræ rhetoricæ, præfatæ congregationi, seu monasterio piarum operariarum sub invocatione beatæ Mariæ Virginis immaculatæ tum annua scuta sexaginta a memorato testatore pro professore rhetoricæ, ut præfertur, legata, tum scuta centum in emptionem unius loci montium quotannis eroganda, tum demum annua præstatio memoratæ Franciscæ de Comitibus assignata, harum serie plenarie relaxamus, adjudicamus, ac applicamus, et adjudicata fore, et esse decernimus, et declaramus; eaque propter, prævia separatione, divisione, ac dismembratione septuaginta trium locorum montium sancti Petri sextæ erectionis cum quinquagenis centesimis a patrimonio, seu prædicta hæreditate de Comitibus, prout motu, scientia, et auctoritate, ac tenore præsentis separamus, disjungimus, ac dismembramus, ac in eamdem congregationem, seu monasterium piarum operariarum transferimus, illique perpetuo assignamus, unimus, adneximus, ac incorporamus, cum onere tamen realiter, et cum effectu per eamdem congregationem, seu monasterium adimplendo, ut nimirum, quoad vixerit memorata Francisca de Comitibus assignata, ut præfertur, annua præstatio persolvatur.

Liberantur executores testamentarii ab oneribus in testamento præfinitis.

§. 4. Quo circa prædictos executores testamentarios ab oneribus tum subministrandi annua scuta sexaginta monetæ Romanæ professori cathedræ rhetoricæ jam suppressæ, tum acquirendi quotannis unum locum montium urbis, prout fuerat a Jacobo de Comitibus dispositum, tum demum annua scuta sexaginta Franciscæ de Comitibus, quoad vixerit, præstandi, auctoritate, et tenore præsentis eximimus, et liberamus.

Tenor applicationis bonorum.

§. 5. Volentes itaque omnia christianæ charitatis, et religionis opera a memoratis piis operariis juxta illarum institutum præstari consueta in satisfactionem, ac adimplementum piorum onerum ex auctis redditibus, et fructibus hæreditatis de Comitibus ob annuam prædictam exemptionem unius loci montium urbis per exequutores testamentarios explendorum cedere, prout ea ad hanc causam motu, auctoritate, et tenore præsentis transferimus, et applicamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has præsentes literas validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, ac illis plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac memorati Jacobi de Comitibus etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non felicis recordationis Pauli pp. II., et aliorum Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis æditis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet con-

cessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata exprimerentur, et insererentur pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declarationes speciales.

§. 8. Volumus autem, ac harum serie declaramus, ut prædicta septuaginta tria loca montium sancti Petri sextæ erectionis, ut præfertur, dismembrata, ac ab hæreditate prædicta separata in memoratam congregationem, seu monasterium translata, eique assignata usque a die prima julii intelligantur; mandantes propterea dilecto filio administratori generali locorum montium, ut hæc omnia prompte, ac sollicite adimpleri curet, ac studeat. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimanona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 19. augusti 1780. Anno VI.

## CCXXVI.

Ratificatio nonnullorum pactorum inter Sanctitatem suam, et regem Christianissimum initorum circa redemptionem chartarum lusoriarum comitatus Avenoniensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum per dilectum filium Nostrum Lazarum Opitium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Pallavicini nuncupatum Nostrum status secretarium a Nobis specialiter deputatum, ac venerabilem fratrem Nostrum Franciscum Joachim episcopum Albanensem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem DeBernis nuncupatum carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum regis christianissimi apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem, quem prædictus Ludovicus rex ad hoc electum, et nominatum, ac sufficienti mandato itidem munitum nominaverat, nonnullæ conventiones, et pacta inter Nos, et eumdem Ludovicum regem super redemptione chartarum lusoriarum comitatus Nostri Avenionensis subscripta fuerint, tenoris sequentis, videlicet.

Tenor conventionis.

§. 2. Stabilimento, e convenzione fatta fra la Santità di Nostro Signore, e sua maestà cristianissima risguardante la percezione del diritto sulle carte da giuoco nel contado di Avignone.

La santa memoria di Clemente XIII. per secondare le premure di sua maestà cristianissima il re di Francia Luigi XV. e per il bene de'rispettivi dominj, avendo stabilito sulle carte da giuoco, che si fabbricano nel contado di Avignone, un dazio simile a quello, che era imposto in Francia sul medesimo oggetto in favore della scuola reale militare, ed avendo la Santità Sua con una convenzione sottoscritta in Roma li 29 agosto 1758 accordato alla detta scuola reale militare per quaranta anni, e sotto la mallevadoria della corte di Francia l'appalto generale del suddetto dazio sulle carte da giuoco del contado di Avignone, mediante l'annua corrisposta di cinque mila lire, si è riconosciuto colla esperienza di più anni, che da tale convenzione si è ottenuto quell'utile reciproco, che le due corti si erano proposto, togliendosi per una parte i contrabandi, che prima si facevano colle carte della fabbrica di Avignone, e con promuoversi all'incontro la facilità del loro commercio nel regno. Ma siccome sua maestà cristianissima il re di Francia Luigi XVI. con aresto del suo consiglio de' 26 novembre 1778 ha ritirato dalla scuola reale militare la facoltà di esiggere il suddetto dazio per farlo correre a suo profitto, ed allo stesso tempo ha dichiarato, che il dazio dovesse essere accresciuto di otto soldi per lira, così tali cambiamenti hanno esatto, che tra la Santità di Nostro Signore, e la maestà sua cristianissima si venisse ad una nuova convenzione, colla quale, senza deviare dai principj della convenzione precedente, restino combinati, ed ammessi i cambiamenti relativi alle circostanze attuali, ed autorizzata nel contado di Avignone la percezione di otto

soldi per lira sulle carte da giuoco, oltre il dazio principale, in maniera che venga con tale augumento ristabilita una perfetta uguaglianza sul dazio delle carte dell'uno, e dell'altro dominio. In conseguenza i sottoscritti ministri plenipotenziarj, cioè per parte di Sua Beatitudine, e della santa Sede l'emo, e rmo signor cardinale Pallavicini segretario di stato, e per parte di sua maestà cristianissima re di Francia l'emo, e rmo signor cardinale De Bernis ministro plenipotenziario della maestà sua in Roma, mediante le respettive plenipotenze vicendevolmente consegnate in originali, e trascritte in piedi del presente stabilimento, sono convenuti ne' seguenti articoli da osservarsi inviolabilmente.

De jure exigen di taxam.

§. 3. 1.° Il dazio sulle carte da giuoco imposto nel contado di Avignone sarà esatto a profitto di sua maestà cristianissima per anni quaranta, da cominciare dal giorno della data della presente convenzione, e da tale epoca il precedente trattato colla scuola reale militare per l'appalto generale del suddetto dazio sarà sciolto, ed annullato, ed in conseguenza sua maestà cristianissima si obbliga a tenore della convenzione dei 29 agosto 1758 a far pagare annualmente alla tesoreria della camera apostolica la somma di cinque mila lire per conto del dazio principale solamente, ed indipendentemente dall'altra somma, che sarà convenuta nel seguente articolo.

De augumento taxæ decernendo.

§. 4. 2.° Sua Santità ordinerà al più presto, che sarà possibile, la percezione nel contado di Avignone di otto soldi per lira oltre al dazio principale sulle carte da giuoco, e li detti otto soldi per lira saranno percepiti a profitto di sua maestà cristianissima nella stessa maniera, che il dazio principale, e per il medesimo tempo, se tanto durerà l'esazione di detti otto soldi per lira in Francia, ed in conseguenza sua maestà cristianissima si obbliga di far pagare annualmente alla tesoreria della camera apostolica per ragione di detti otto soldi per lira, per finchè sussisteranno, due mila lire, che cominceranno a decorrere dal giorno della pubblicazione del regolamento, in virtù del quale i detti otto soldi per lira potranno essere percipiti nel contado di Avignone.

De æqualitate servanda supra chartas lusorias.

§. 5. 3.° Affine di prevenire tutte le difficoltà, e ristabilire prontamente l'eguaglianza tra le carte del regno, e quelle del contado, sarà ordinato nel regolamento, che imporrà gli otto soldi per lira, che li detti otto soldi saranno percepiti sopra tutti i giuochi, che nel giorno della pubblicazione si troveranno in potere de'fabbricanti di carte, ancorchè i detti giuochi fossero già compiti, ed eziandio, che il dazio principale fosse stato soddisfatto.

De redemptore eligendo, pro exactione taxæ

§. 6. 4.° L'amministratore, o appaltatore, che da sua maestà cristianissima sarà incaricato della percezione del dazio nel contado, non potrà, che esiggere il dazio imposto sopra ciascun giuoco di carte, con mettervi il suo bollo, ed insistere per l'esecuzione del regolamento del primo maggio 1761, e di quelli, che potranno essere pubblicati in appresso per la percezione del dazio nel contado, senza che l'appaltatore, o amministratore, e la persona, che la rappresentasse possa in alcuna maniera impedire, o pregiudicare l'industria de' fabbricanti stabiliti tanto nel contado, che nella città di Avignone.

De residentia exactoris.

§. 7. 5.° La persona, che sarà incaricata della direzione di detto dazio, continuerà a fare la sua residenza in Avignone, e sarà sotto la dipendenza di monsignor vice-legato.

De fabricatoribus chartarum

§. 8. 6.° Li detti fabbricanti potranno continuare a fabbricare le carte ad uso di quelle di Francia, senza alcun distintivo, e si lascerà loro la libertà di spacciarle in Francia, in maniera che riguardo a questo genere d' industria, il contado di Avignone sarà considerato come una provincia di Francia, bene inteso però, che in conformità de'regolamenti già pubblicati, e che monsignor vice-legato farà pubblicare, vengano i detti fabbricanti del contado sottoposti ai medesimi ordini, diritti, ed emende, ai quali sono soggetti i cartari di Francia.

De exemptione a gabellis, pr extractione chartarum.

§. 9. 7.° Per le carte, che li fabbricanti del contado invieranno a Roma, allo stato ecclesiastico, ed ai paesi stranieri, verrà loro accordato il passaggio libero, e franco de'diritti di gabelle, nè altro dovrà da loro esiggere l' appaltatore, se non che quelle precauzioni, e cautele, che servono a garantirlo dai contrabandi.

De tribunali competenti pro litibus agendis

§. 10. 8.° Le liti, o controversie tanto civili, che criminali, che potessero insorgere per rapporto alle carte del contado di Avignone, o a causa di qualche contrabando commesso in detto territorio, saranno esaminate dai giudici ordinarj del contado, o da monsignor vice-legato, senza che vi si possa

mai ingerire, nè conoscerne alcun altro giudice, o tribunale straniero.

De observantia conventionis initæ anno 1756

§. 11. 9.° Li cinque articoli del concordato conchiuso li 4 febbrajo 1756 saranno mantenuti, ed osservati in tutto ciò, che non sono contrarj alla presente convenzione, e specialmente dovrà avere la sua totale, e piena esecuzione l'articolo 5.° di detto concordato, che porta di ammettere la gioventù della nobiltà del contado nella scuola reale militare colle condizioni in detto articolo prescritte.

Exponitur ratio peractæ concessionis.

§. 12. 10.° Essendosi compiaciuta sua maestà cristianissima, a riguardo di Sua Santità, ed a contemplazione delle sue rappresentanze di ordinare con pubblico editto dei 21 giugno 1757, la intiera osservanza dell'articolo ottavo del concordato fatto per il tabacco, e tele stampate a conto del passaggio franco da diritto di gabelle da darsi in Francia alle sete di Avignone, e contado, in corrispondenza di ciò la Santità Sua essendosi creduta in dovere di comprovare a sua maestà cristianissima la propria riconoscenza, è condiscesa ad accordargli colla presente convenzione la percezione tanto del dazio principale sulle carte da giuoco, quanto degli otto soldi per lira accresciuti sul medesimo dazio nel contado di Avignone a tempo più lungo del solito, non ostante qualunque costituzione apostolica in contrario.

Sanctiones pro obtinenda executione conventionis.

§. 13. 11.° I regolamenti, che farà pubblicare monsignor vice-legato per fissare, e stabilire la percezione del dazio sopra le carte, dovranno esser concertati colla intelligenza della corte di Francia, e di quella di Roma, la quale dovrà poi dare tutta la mano, affinchè abbiano esatta, e pronta osservanza, ed esecuzione.

Sua Santità, e sua maestà cristianissima si obbligano reciprocamente alla osservanza della presente convenzione, che sarà ratificata dall'una, e l'altra parte al più presto, che sarà possibile, ed incomincerà ad essere provisionalmente eseguita dal giorno della infrascritta data, e dopo sottoscritta dai respettivi ministri plenipotenziarj della santa Sede, e della corte di Francia, e munita de'loro sigilli. Dato in Roma a dì 17 maggio 1780.

L. card. Pallavicini.
Loco ✠ sigilli.

F. I. card. De Bernis.
Loco ✠ sigilli.

Confirmatio conventionis.

§. 14. Hinc est, quod Nos conventiones, et pacta hujusmodi, rata itidem habere, stabilique firmitate subsistere, et inviolabiliter servari cupientes motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, conventiones, et pacta præinserta a memorato Ludovico rege approbata, confirmata, et rata habita, ut præfertur, tenore præsentium ratificamus, ac rata habemus, ac præmissa per ipsum Lazarum Opitium cardinalem Nostrum, apostolicæ Sedis prædictæ plenipotentiarium in conventionibus, et pactis prædictis sincere, et inviolabiliter ex Nostra, ejusdemque Sedis parte adimpletum, et servatum in verbo Romani pontificis promittimus. Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut alio quocumque quantumvis magno, et inexcogitato defectu notari, et impugnari posse, sed semper tempore prædicto durante firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et ordinationibus. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 5. septembris 1780 Ann. VI.

CCLXXVII.

Indultum non emittendi professionem regularem, ac vota solemnia per alios magnos militiæ beatæ Mariæ virginis Theutonicorum emitti consueta, et nihilominus juribus, privilegiis, et indultis uti magno magistro militiæ præfatæ competentibus uti, et frui possit, et valeat.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Maximiliano archiduci Austriæ, magno magistro militiæ ordinis beatæ Mariæ virginis Theutonicorum.

Pius PP. VI.

Dilectissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Præclara regiæ celsitudinis tuæ pietas, ac religio, et singularis in Nos, et apostolicam Sedem devotio, aliaque virtutum merita, quibus personam tuam multipliciter insignivit Altissimus, Nos inducunt, ut apostolica benignitate te libenter prosequamur.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti quod cum magnus magister militiæ ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum existas juxta statutorum, seu stabilimentorum, ac ordinationum capitularium militiæ præfatæ auctoritate apostolica confirmatorum præscriptum, professionem regularem, et solemnia vota per magnos magistros dictæ militiæ emitti consueta, expresse emittere teneris. Verum cum apostolica auctoritate dispensari summopere desideres, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur rationabilibus de causis animum Nostrum moventibus, ac præmissorum meritorum tuorum intuitu te specialibus favoribus prosequi volentes, et a quibusvis censuris absolutum censentes supplicationibus tuis inclinati, te ab onere professionem regularem præfatam, nec non dicta vota solemnia expresse emittendi auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium eximimus ac liberamus, tibique ut omnibus et singulis juribus, prærogativis, privilegiis, præeminentiis, gratiis, et indultis quibus alii magni magistri ordinis, et militiæ præfatorum tam de jure, usu, et consuetudine, vel alias quomodolibet usi, potiti, et gavisi sunt, ac uti, potiri, et gaudere quomodolibet potuerunt, ac debuerunt pari modo, et absque ulla differentia uti, potiri, et gaudere libere, et licite possis, ac valeas, in omnibus, et per omnia perinde ac si juxta præscriptum eorumdem statutorum, seu stabilimentorum, et ordinum capitularium dictæ militiæ professionem regularem præfatam, ac vota solemnia expresse emisisse repereris, auctoritate et tenore præfatis concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis nec non militiæ præfatæ, et statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem die quinta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 6 septembris 1780 Anno VI.

CCLXXVIII.

Committitur episcopo Visensi, ut tamquam visitator apostolicus visitet, et reformet congregationem canonicorum regularium sanctæ Crucis Colimbricensis.

Venerabili fratri Antonio episcopo Visensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem

Proemium

§. 1. Cum illius vicem, meritis licet minime suffragantibus, geramus in terris, qui pacem in terras intulit; charitatemque ad invicem præ cæteris omnibus ejus fidelibus præcepit, officii Nostri debitam prosequimur actionem, si regularium personarum, quæ relicto sæculo sub suavi religionis jugo Dei obsequio se dedicarunt, illique proprius famulari susceperunt, pro commisso Nobis munere, concordiæ, ac quieti, et in via Domini progressui consulere cupientes pacem, et charitatem inter ipsos inducere, inductamque confovere, ac regularem disciplinam ad suam

puritatem, ac pristinum suum candorem, quatenus illa collapsa sit, restituere, vel vigentem conservare, et quæ iis contraria sunt, falce pastoralis vigilantiæ ad radices posita, ne hinc sanctæ religiones, quæ ad Ecclesiæ Dei decorem, illamque variis virtutum meritis venustandam sunt constitutæ, in ejusdem ecclesiæ dedecus, ac vituperium, ob morum in eis profitentium licentiam, ac discordiarum scandala convertantur, omnibus rerum, et temporum mature perpensis circumstantiis, quantum Nobis ex alto conceditur totis viribus curemus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum a regina Portugalliæ, et Algarbiorum.

§. 2. Sane sicuti Nobis pro parte carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ dilectus filius Henricus de Menezes miles militiæ Domini Nostri Jesu Christi regiis negociis apud Nos, et Sedem apostolicam deputatus nuper exposuit, licet alias per felicis recordationis Innocentium pp. XIII., Benedictum pp. XIII., Clementem pp. XII, et Benedictum pp. XIV. Romanos pontifices prædecessores Nostros piis, ac enixis claræ memoriæ Joannis hoc nomine V. dum vixerat, Portugalliæ, et Algarbiorum regis fidelissimi precibus eis humiliter respective porrectis annuentes ed ecclesiasticam, regularemque disciplinam in congregatione canonicorum regularium sanctæ Crucis Colimbricensis ordinis s. Augustini jamdiu collapsam restaurandam, restituendamque bonæ memoriæ Gasparum ab Incarnatione ordinis fratrum sancti Francisci minorum de observantia reformatorum nuncupatorum, dum vixit, professorem in ejusdem congregationis visitatorem, ac reformatorem constituerint, ac deputaverint, illique quamplures diversis respective temporibus facultates sint impertiti, prout in literis hisce desuper a memoratis Innocentio die xxiv. aprilis MDCCXXIII., a primo dicto Benedicto diebus xi. augusti, xxv. septembris, et xviii. decembris MDCCXXV., et secunda martii MDCCXXVIII. a Clemente die xxx. januarii MDCCXXXI., xv. decembris MDCCXXXIII., et iii. augusti MDCCXXXVI., et iv. augusti MDCCXXXIX. in simili forma Brevis respective expeditis, ac in literis a secundo dicto Benedicto pariter prædecessori Nostro die vi. septembris anni MDCCXLII., et xvi. maii MDCCXLIII. sub plumbo datis plenius, ac diffusius continetur. Ipseque Gaspar veluti apostolicus visitator, et reformator dictæ congregationis neque laboribus, neque vigiliis pepercerit, multaque etiam salubria provisonalia decreta, ac ordinationes ad quietum, et tranquillum canonicorum prædictorum statum, ac ad regularem disciplinam in congregatione prædicta inducendam pertinentes ferre non destiterit, ut canonici in ea professores cum Dei cultus augumento, animarum Christifidelium utilitate, ac illorum in via Domini progressu in Ecclesia sancta Dei denuo uberes bonorum operum fructus proferrent; nihilominus cum memoratus Gaspar e vivis fuerit ereptus adhuc re infecta, nec nondum publicatis constitutionibus, quæ ad noviter inductam ecclesiasticam, regularemque disciplinam, ac reformationem in eadem congregatione stabiliendam, firmandamque opportuniores duxerat, ex novarum simultatum, et dissentionum zizania ab infensissimo Nostro inimico inter prædictos canonicos disseminata, ac ex nonnullorum præsertim reluctantia, qui sine spiritu regularis disciplinæ professi, et indictam per memoratum Gasparem reformationem graviter audientes illius jugum subire detrectarunt, factum est, ut paulisper hujusmodi effrænis spiritus, qui quidem est spiritus vertiginis faciens errare, sicut errat ebrius, et vomens nedum a recta morum institutione alienus, quinimmo illius prorsus extinctor, adeo inter dictos religiosos irrepserit, ut sua contagione, et jam infectas arbores plane depravaverit, et novos palmites, qui uberes bonorum operum fructus aspirante superni favoris auxilio proferre pollicebantur, vitiaverit, ac brevi in dicta congregatione primæva mala, ac incommoda, ad quæ extirpanda memorati prædecessores Nostri omnes eorum providentiæ curas sollicite impenderunt, repullulare visa sunt.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur ad ea, per quæ diu optatæ regularis disciplinæ restitutioni in congregatione prædicta firmiter consulatur, serio, ac omni ex parte intendentes, prætercaque in præmissis concessæ Nobis a Domino potestatis partes interponere, ac uberius providere volentes, et eximium memoratæ Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ intuenda, promovendaque hujusmodi regulari disciplina zelum plurimum in Domino commendantes: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, fraternitatem tuam, de cujus fide, pietate, doctrina, prudentia, ac in rebus gerendis dexteritate, et reli-

gionis zelo plurimum in Domino confidimus, congregationis prædictæ apostolicum visitatorem, ac reformatorem tenore præsentium constituimus, et deputamus: tibique insuper committimus, et mandamus, ut cum assistentia unius vel plurium sociorum, qui sit, vel sint religiosus, vel religiosi in aliquo ex ordinibus, seu congregationibus a Sede apostolica approbatis expresse professus, vel professi a te ad hujusmodi effectum pro tuo arbitrio eligendi, et assumendi, seu eligendorum, vel assumendorum probatæ vitæ, et circa statuta, et mores regulares dictæ congregationis versati, seu versatorum, quatenus tibi visum fuerit opportunum, qui etiam singuli, prout tibi expedire videbitur, procedant, ac quæcumque eis mandaveris, et commiseris exequi possint, et teneantur, et a se gesta, quæ ante tuam approbationem nullum habeant vigorem, ad te referant, ipsam congregationem, et illius prælatos, et superiores etiam generales, canonicos, et personas cujusvis status, gradus, conditionis, præeminentiæ, et dignitatis existant; monasteria quoque, domos, conventus, hospitia, ac alia loca regularia quæcumque, in quibus etiam prior generalis residet, ac residere consuevit, semel, vel pluries prout expediri dijudicaveris, auctoritate Nostra apostolica visites, et summarie, simpliciter, de plano, sine strepitu, et figura judicii, sola facti veritate inspecta, reformes.

Impartitio facultatum apostolicarum pro explendo munere visitationis.

§. 4. Mandata, et præcepta quæcumque necessaria, et opportuna in personis, et locis sic visitandis, et reformandis, illis in rebus, quæ visitationis, et reformationis hujusmodi præparationem, statum, progressum, et executionem concernunt, decernes, facies, eaque exequi jubeas; personas quaslibet cujusvis qualitatis, et conditionis etiam laicalis dictæ congregationis pro rebus, et negociis ad eamdem visitationem, et reformationem pertinentibus voces, et ad personaliter comparendum cites, opportunisque juris, et facti remediis compelles. Similes etiam personas quascumque, et tamquam principales, et tamquam testes, quoad alios examines, et ut veritati testimonium perhibeant, admoneas, ac etiam cogas, juramenta eis deferas, et ab eis exigas, et recipias ad sacrorum canonum præscriptum, ac recusantes per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas etiam temporales tibi benevisas compescas; in dictæ congregationis, illiusque monasteriorum, domorum, conventuum, et locorum regularium præfatorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam, et idoneitatem singularum personarum conjunctim, vel divisim, ac tam in capite, quam in membris, nec non circa divinum cultum, religiosas functiones, ecclesiarum decorem, fructuum, et introituum dispositionem, regularem observantiam, aliaque omnia, et singula ad actum hujusmodi visitationis, et reformationis quomodocumque spectantia diligenter inquiras, et ad hunc effectum quæcumque illorum archivia, bibliothecas, et quæ in illis continentur documenta, instrumenta, scripturas, libros, computa, et ratiocinia perlustres, inspicias, perscrutes, præsertim vero sacras reliquias, et quibus ipsæ reliquiæ, nec non sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et res ad alia sacramenta pertinentes, continentur sacra vasa, pixides, thecas, tabernacula, et indumenta, ornamenta, ac instrumenta, utensilia, ac supellectilia ecclesiastica etiam pretiosa diligenter inspicias, et ad prædicta exhibenda quascumque personas coges, et compellas; re in præmissis omnibus, et singulis quæcumque correctione, emendatione, et reformatione indigere cognoveris, corrigas, emendes, et reformes.

Facultates pro reformatione ordinationum, statutorum, ex decretorum re servationibus adjectis.

§. 5. Statuta, ordinationes, et decreta de novo condas, et condita confirmes, dummodo sacris concilio Tridentio, ac apostolicis, et ejusdem congregationis a Sede apostolica confirmatis constitutionibus, et ordinationibus non adversantur: abusus, et pravas consuetudines etiam ab immemorabili tempore inductas tollas, et aboleas, bonas, et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, ecclesiasticam disciplinam, et observantiam regularem, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, ubi opus fuerit, modis congruis restitues, et reintegres.

Licentia de irrogandis pœnis, contra quoscumque.

§. 6. Mandata, decreta, statuta, et ordinationes executioni demandes, et custodiri, ac observari præcipies; et si aliquos prælatos, seu superiores etiam generales canonicos, et alias quaslibet dictæ congregationis personas culpabiles, vel delinquentes repereris, illos, vel illas pro modo culpæ, ac delicti similiter corrigas, carceres, punies, et castiges per censuras, aliasque pœnas ecclesiasticas, et temporales etiam suspensionis ab officiis, administrationibus, et dignitatibus, atque alias ejusdem con-

gregationis personas idoneas, et requisitis per constitutiones prædictas qualitatibus præditas in eisdem officiis, administrationibus, et dignitatibus loco suspensorum, et pro tempore, quo illorum munera durare debuissent, subroges, et deputes. Eidem fraternitati tuæ insuper concedimus, ut durante visitatione, seu reformatione hujusmodi suspensa capituli generalis dictæ congregationis celebratione, quæ dominica secunda post pascha Resurrectionis in quolibet triennio fieri solet, per te ipsum indipendenter a capitularibus, et vocalibus priorem generalem, substitutum, collegas, definitores, et in singulis monasteriis, et domibus regularibus ipsius congregationis priores, ac vicarios, et in collegio Colimbricensi rectorem, et regentem, nec non priores generales, et reliquos officiales ministros, et consiliarios universæ congregationis prædictæ pro tuo arbitrio, et prudentia, etiamsi ab eorum respective officiis per triennium minime vacaverint, ac singula monasteria, et domos regulares hujusmodi nedum visitaveris, ad triennium inde proximum eligere, deputare, confirmare, ita ut per electionem, et deputationem hujusmodi omnes, et siguli prælati, superiores, priores, cæterique officiales, et ministri prædicti a suis respective dignitatibus, muneribus, et officiis, licet tempus, quo illa juxta constitutiones, et morem dictæ congregationis durare debent non expleverint, eo ipso absque ulla declaratione absoluti censeantur, nec amplius se in eis ingerere valeant: vel etiam deputationem, seu confirmationem hujusmodi, quatenus id necessarium duxeris, prætermittere possis, et valeas.

*Providentiæ circa novitios sumendæ.*

§. 7. Rursus cum ex novitiorum acceptatione, qui novam per te inducendam reformationem alacriter suscipiant primævi dictæ congregationis splendoris restitutio maxime pendeat, hinc tibi, durante visitatione, seu reformatione prædicta novitios acceptandi nominando personas, quæ mundanis relegatis illecebris sub arctiori vitæ observantia, se perpetuo divinis obsequiis mancipare, et sub suavi Christi jugo vota sua reddere, uberesque bonorum operum fructus, divino afflante spiritu proferre exoptent, eisque pro ipsorum educatione illa monasteria, in quibus vere disciplina regularis custodiatur assignandi, ac elapso probationis anno, si ita a te judicabitur non obstante quavis canonicorum regularium prædictorum reluctantia in eamdem congregationem recipiendi, ac ad habitum regularem admittendi, illosque in selectis ejusdem congregationis monasteriis conventuales a reliquis ejusdem congregationis canonicis regularibus ante visitationem, et reformationem professis, illiusque jugum subire detractantibus, separatim assignandi, dictosque canonicos regulares ante visitationem, et reformationem præfatas, ut præfertur, professos a monasteriis hujusmodi ad alia ejusdem congregationis monasteria transferendi, donec his pro tempore decedentibus, eorum loco personis præfatis, ut præfertur, assumptis in reliquis, ac tandem omnibus præfatæ congregationis monasteriis canonici regulares post visitationem, et reformationem prædictas expresse professi conventuales assignentur, unde eadem congregatio ad pristinum regularis disciplinæ candorem gaudeat se esse restitutam, plenam, et amplam facultatem concedimus, et impertimur. Verum si aliqui ex canonicis regularibus hujusmodi ante visitationem, et reformationem prædictas, ut præfertur, professi, morum sanctimonia, et regularis disciplinæ observantia prælucentes, ita continuum Altissimo præstabunt in sanctitate, et bonis operibus famulatum, ut ipsi absque ullo pravi exempli periculo, quod ex regularis disciplinæ inobservantia proveniret, ad tui libitum, et quatenus expediens tibi videbitur, in omnibus, et singulis congregationis prædictæ monasteriis etiam una cum dictis canonicis regularibus ejusdem congregationis post visitationem, et reformationem prædictas expresse professis respective permanere, sive conventuales respective existere, eorumdemque monasteriorum priores, consiliarios, aut officiales, nec non ejusdem congragationis definitores respective eligi, et esse harum serie decernimus, et declaramus.

*Similes circa canonicos regulares.*

§. 8. Demum attendentes, quod nonnulli ex canonicis regularibus ante visitationem, et reformationem per te inducendam professis regularis disciplinæ observantiam graviter audient, et oculos suos eatenus clauserint, ut videntes non videant, idcirco ad funditus malum hujusmodi e congregatione prædicta extirpandum, et ne serpens inter illos ad bonos quoque sensim, sine sensu se extendat, illosque aliquando corrumpat: motu, scientia, ac deliberatione similibus, deque apostolicæ potestatis plenitudine tibi, ac in tui defectum superiori majori dictæ con-

gregationis pro tempore existenti, ut eadem fraternitas tua, vel in tui defectum ipse superior major pro tempore existens præfatus illis ex canonicis regularibus ante reformationem, et visitationem hujusmodi expresse professis, ac etiam conversis, vel laicis nuncupatis ejusdem congregationis, qui e dicta congregatione potius egredi exoptantes, quam regularis disciplinæ legibus per visitationem, et reformationem prædictas injungendis se ex animo subijcere, infrascriptam egrediendi licentiam petierint, sive omnibus, sive pluribus, vel nonnullis ex ipsis pro tui, vel in tui defectum dicti superioris majoris pro tempore existentis arbitrio, et prudentia, et quatenus expediens videbitur, e congregatione prædicta egrediendi, et quoad canonicos regulares prædictos in habitu clericali sub omnimoda jurisdictione ordinarii loci, ubi morabuntur, remanendi licentiam concedere, et egressi pro cujuscumque ipsorum victu ex redditibus congregationis hujusmodi tibi, vel in tui defectum præfato superiori majori pro tempore existenti benevisis certam tuo arbitrio pariter, et in tui defectum dicti superioris majoris prudentia stabiliendam summam respective assignare, et quoad conversos, seu laicos prædictos extra eam in habitu laicali incedendi, victumque, ac vestitum sibi convenienter comparandi, ac propterea absque ulla pro eorum victu, et vestitu ex redditibus dictæ congregationis assignatione licentiam tribuere, ita tamen quod neque canonici regulares, neque laici prædicti e congregatione prædicta semel dimissi, et ordinariis locorum respective subjecti ad congregationem eamdem ullo unquam tempore, seu quovis modo regressum, et ingressum habere nequeant libere, ac licite possis, et valeas plenam, et amplam facultatem tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Declarationes circa eos qui obtinuerunt licentiam egrediendi a congregatione.

§. 9. Nos insuper volentes eorumdem canonicorum regularium, qui e congregatione prædicta, ut præfertur, egrediendi licentiam obtinuerint, commoditatibus prospicere, harum serie declaramus, quod illi quæcumque, et qualiacumque cum cura, et sine cura sæcularia beneficia ecclesiastica etiamsi canonicatus, et præbendæ, dignitates majores, et principales, personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva in cathedralibus, metropolitanis, collegiatis, aliisque ecclesiis, seu si parochiales ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ fuerint, si eis alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere, et dummodo plura simul non sint, quam quæ a concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere, nec non quascumque pensiones annuas super similium, vel dissimilium beneficiorum ecclesiasticorum, ac etiam mensarum archiepiscopalium, episcopalium, et abbatialium fructibus, redditibus, et proventibus apostolica eis auctoritate reservandas, seu in eos canonice transferendas percipere, exigere, levare, ac in suos usus, et utilitatem convertere; ita quod in singulis casibus hujusmodi assignatio ex redditibus congregationis hujusmodi alias eis pro eorum respective victu a prædicto Gaspare, vel in ejus defectum a dicto superiore majore pro tempore existente respective facta, cesset eo ipso, libere, ac licite respective possint, et valeant. Proviso, quod illis ex prædictis canonicis regularibus sic dimissis in charitate Christi quiescentibus, qui durante eorum vita pro aliorum canonicorum regularium, et conversorum in congregatione prædicta similiter decedentium animabus solita suffragia se explevisse per documentum publicum superiori majori dictæ congregationis pro tempore existenti prædicto annuatim significaverint, pariter quoque eadem suffragia pro illorum animabus in universa congregatione prædicta omnino persolvantur.

Ampliatio facultatum.

§. 10. Nos demum tibi circa visitationem, et reformationem prædictas eas omnes facultates, ac indulta, quæ præter expressa alias per memoratos Innocentium, primo dictum Benedictum, Clementem, et secundo dictum Benedictum in suis respective literis, aut in simili forma Brevis, aut sub plumbo datis prædicto bonæ memoriæ Gasparo ab Incarnatione in ejusdem congregationis visitatorem, et reformatorem deputato concessæ, et impertitæ fuerunt motu, scientia, et potestate paribus, harum serie tribuimus, et indulgemus.

Monita ad superiores, aliasque personas super onere præbendi obedientiam visitatori apostolico.

§. 11. Mandantes propterea prælatis, superioribus, canonicis, et personis prædictis, aliisque, ad quos spectat, ut te uti visitatorem, et reformatorem, sicut præmittitur, a Nobis deputatum reverenter suscipientes, et recognoscentes, tibi in omnibus, et singulis præmissis prompte pareant, et obsequantur, tuaque salubria monita, et

mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententias, sive pœnas, quas rite tuleris in rebelles ratas habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignas inviolabiliter observari.

Præceptum de peragendo processu actorum visitationis faciendæ.

§. 13. Volumus autem, ut visitationis, et reformationis ejusmodi, postquam peracta fuerint, omniumque illius actorum copiam a te subscriptam clausam, tuoque sigillo munitam, ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum ad hoc, ut illa Nobis referat diligenter transmittas.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus felicis recordationis Pii V., Gregorii XIII., et Pauli V. Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum, quibus caveri dicitur memoratam congregationem canonicorum regularium per alium visitatorem, quam ejusdem congregationis religiosum visitari non posse, illiusque priori generali pro tempore existenti munus visitationis, et reformationis hujusmodi tribuitur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit ordinis, et congregationis, monasteriorum, conventuum, domorum, hospitiorum, et locorum regularium prædictorum, ac quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, et literis apostolicis etiam ordini, et congregationi, ac monasteriis, conventibus, domibus, hospitiis, et locis regularibus hujusmodi, illorumque prælatis, superioribus, canonicis, et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, et etiam pluries iteratis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declarationes speciales.

§. 15. Volumus autem favore memoratæ Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ servatam nominationem prioris de Maffra de cujus jurepatronatu, ut asseritur, existit; ac præterea, ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXXIX.

Dat. die 13 septembris 1780 Anno VI.

Translatio festi s. Francisci de Paula, cum officio, et missa cum sua octava, aliisque prærogativis patroni principalis regni Siciliæ ultra Pharum, ad secundam dominicam post Pascha Resurrectionis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Desiderium, quod ad religionis propositum, et animarum salutem pertinere monstratur, animo Nos decet libenti petentium votis congruum suffragium concedere, ut videlicet fidelis devotio celerem sortiatur effectum, et utilitas postulata indubitanter vires assumat.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Sane pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis, ac fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, ac communitatum, universitatum, et hominum regni Siciliæ ultra Pharum nuper Nobis expositum fuit, quod alias felicis recordationis Clemens pp. XII. prædecessor Noster de consilio venerabilium fratrum Nostrorum tunc suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris

ritibus præpositorum per suas literas in simili forma Brevis die xv. julii anni MDCCXXXIX. expeditas in compatronum principalem regni Siciliæ ultra Pharum cum omnibus prærogativis patroni principalis sanctum Franciscum de Paula ordinis prædicti fundatorem declaravit, ac confirmavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat illius diem festum multis rationabilibus de causis cum omnibus prærogativis prædictis a die propria ad dominicam secundam post Pascha Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi per Nos transferri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia obsolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium congregationis prædictæ specialiter deputatorum consilio, diem festum memorati sancti Francisci de Paula cum omnibus prærogativis patroni principalis ad secundam dominicam post Pascha Resurrectionis adeo, ut omnes, et singuli tum sæculares, tum regulares utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, illius officium, et missam cum octava in posterum etiam de præcepto recitare, et celebrare debeant auctoritate apostolica tenore præsentium transferimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus perpetuis futuris temporibus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctæ Sedis nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXXX.

Dat. die 13. septembris 1780 Anno VI.

Confirmatio Brevis Clementis XIII sententiæ A.C. et rescripti domini cardinalis pro auditoris, in quo conceditur confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii in castro s. Petri Bononiensis diœcesis canonice institutæ facultas elevandi proprium vexillum vulgo confalone in processionibus

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Commissæ Nobis apostolicæ Sedis Nos hortatur auctoritas, ut nedum locis, sed etiam personis auxilium devotione debita implorantibus tuitionis præsidium impendere debeamus; quia sicut injusta poscentibus nullus tribuendus est effectus; sic legitima, et justa desiderantium nulla est differenda petitio.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales, et confratres archiconfraternitatis sub invocatione ssmi Rosarii in archipresbyterali ecclesia sanctæ Mariæ Majoris loci castri sancti Petri Bononiensis diœcesis canonice, ut asseritur, institutæ, quod alias a felicis recordationis Clemente pp. XIII prædecessore Nostro rescripta felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris itidem Nostri, ac instrumentum super facultate, ac licentia elevandi in publicis functionibus, et processionibus per dictum castrum sancti Petri pro tempore habendis pro-

prium vexillum, vulgo stendardo, o confalone nuncupatum a bonæ memoriæ Vincentio, dum vixit, cardinali Malvetio, ex concessione, et dispensatione apostolica tunc archiepiscopo Bononiensi in vim facultatum sibi a memorato Benedicto prædecessore concessarum stipulatum confirmari obtinuerunt per suas literas in simili forma Brevis die iv septembris 1759. expeditas tenoris, qui sequitur

Clemens pp. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor literarum Clementis XIII. super concessione juris elevandi vexillum.

§. 3. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales, et confraternitatis sub invocatione ssmi Rosarii in archipresbyterali ecclesia sanctæ Mariæ majoris castri sancti Petri Bononiensis diœcesis canonice, ut asseritur, institutæ, quod alias dilectus filius Noster Vincentius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis Malvezzi nuncupatus metropolitanæ ecclesiæ Bononiensis ex concessione, et dispensatione apostolica præsul vigore facultatum sibi a felicis recordationis Benedicto Papa XIV prædecessore Nostro attributarum, ipsis exponentibus licentiam elevandi in publicis functionibus, et processionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum, vulgo stendardo, o confalone nuncupatum, illoque sub nonnullis præscriptis conditionibus utendi concessit, prout constat ex publico ea super re confecto instrumento, tenoris sequentis nempe = In Dei nomine amen. Fidem facio, et attestor ego notarius infrascriptus s. pastoralis visitationis cancellarius, qualiter occasione dictæ s. pastoralis visitationis sub die octava maij 1756 per emum, et Rmum dnum cardinalem Bononiæ archiepiscopum, et principem habita de ecclesia archipresbyterali sanctæ Mariæ Majoris castri sancti Petri, Bononiensis diœcesis inter cetera sequens factum fuit decretum, videlicet = Attentis supplicationibus humillime porrectis ssmo domino Nostro Benedicto XIV mediante exma dna Imelda Lambertini moniale in monasterio sanctæ Mariæ novæ Bononiæ, et ejus ex fratre nepte dilectissima nomine prioris, et confratrum omnium dictæ archiconfraternitatis, ut inter tot gratias, ac privilegia in sua elevatione eidem concessa etiam ipsam vexillo vulgo confalone insigniri dignaretur, quas preces nostro arbitrio, et prudentiæ cum opportunis, et necessariis facultatibus remisit, ut per epistolam, et supradictæ excellentissimæ suæ neptis nobismetipsis sub datum in arce Gandulfi xv junii 1754 sanctitas Sua significavit. Nos occasione hujus Nostræ sacræ pastoralis visitationis supradictæ plebatæ ecclesiæ mandavimus, ut confratres ipsius archiconfraternitatis cappa induti sub suo signo præcedente vexillo *vulgo confalone* accederent ad palatium nobilis viri comitis Cæsaris Malvasia in eodem castro pro nostra residentia occasione talis visitationis nobis assignatum, et ad archipresbyteralem supradictam nos sociarent, ut prompte exequi fecerunt completa visitatione pastorali, et confirmationis sacramento administrato, aliisque de ritu peractis cum publicæ venerationi extaret statua beatæ virginis Mariæ de Rosario in cappella ipsius archiconfraternitatis exposita ad petendam necessariam pluviam solemnis supplicatio magno populi, clerique concursu, ac nostro interventu cum eadem beata virgine Maria de Rosario per vias ejusdem castri instructa fuit confratribus supradictæ archiconfraternitatis cum dictis vexillo, et signo ipsam præcedentibus, data per nos deinde benedictione cum dicta beatæ Mariæ virginis statua, eaque in suo altare reposita, et sic omnino expleta functione in sacrario ecclesiæ archipresbyteralis fuerunt de nostro expresso mandato convocati officiales omnes tam dictæ archiconfraternitatis, quam confraternitatum ssmi Sacramenti, et sanctæ Catharinæ virginis, et martyris in eodem castro erectarum, et existentium, quibus omnibus per nos patefacta fuit *specialis gratia* a prælibato ssmo domino Nostro Papa feliciter regnante concessa ipsis confratribus archiconfraternitatis ssmi Rosarii usus, et delationis in processionibus vexilli, *vulgo confalone in privilegium præcipuum*, et in honorem distinctum archiconfraternitatis, et terræ suæ, seu castri: ad evitandas porro omnes dissentiones, quæ ex parte supradictarum confraternitatum aliquando exoriri possent occasione *tam insignis gratiæ* injungimus, et stricte mandavimus etiam sub pœnis arbitrio nostro, et successorum nostrorum reservatis, confratribus archiconfraternitatis ssmi Rosarii tam præsentibus, quam futuris, ut hujusmodi gratia moderate, et præcedenter utantur, attributa postea eisdem facultate deferendi dictum vexillum vulgo confalone semper, et in omnibus, et quibuscumque proces-

sionibus, et supplicationibus de ritu, de præcepto, de lege, et de consuetudine loci, et archiconfraternitatis, nec non in aliis a Nobis, et a successoribus Nostris forsan demandandis, sicuti etiam ab archipresbytero pro tempore ordinandis in quocumque casu, et necessitate eidem benevisis; hac tamen lege, sine qua hujusmodi gratia ipso facto corruat, quod in supra expressis supplicationibus, quando non interveniat, nisi sola archiconfraternitas sanctissimi Rosarii sub suis signo, et vexillo, ut supra, intercedere possit, ac valeat semper, et quotiescumque eidem placuerit; quando vero interveniant cuicumque ex supradictis processionibus aut una, aut ambæ aliæ duæ confraternitates; nempe sanctissimi Sacramenti, et sanctæ Catharinæ, hoc casu archiconfraternitas IPSO DICTO VEXILLO VULGO CONFALONE, ET SUO SIGNO IN SIMUL UTI PARITER POSSIT, et valeat, sed semper sine minimo præjudicio præcedentis præeminentiæ, jurisdictionis, aut quorumcumque aliorum jurium, etiam speciali, et individua mentione dignorum, aliis duabus confraternitatibus spectantium, et competentium, semper, et ubicumque, ita ut per supradictam reportatam gratiam usus, et delationis dicti vexilli confalone nuncupati nullum unquam majus, aut alterius jus ipsi archiconfraternitati sanctissimi Rosarii acquiratur, et ne minimum quidem præjudicium uni, vel alteri, vel ambabus insimul confraternitatibus, et sic distinctim, vel unitim unquam inferatur: et hoc inhærendo expressæ, et Nobis patefactæ intentioni, et voluntati Sanctitatis Suæ occasione gratuitæ condecorationis, ut supra concessæ, et non alias, nec alio modo, sed et omni etc. quia sic etc. Quibus omnibus officialibus dictarum archiconfraternitatis, et confraternitatum, etiam nomine aliorum confratrum, eorumque successorum perpetuo obedire promiserunt, et Sanctitati Suæ, nobisque gratias summo obsequio reddiderunt, utque in libro, in quo adnotata reperiuntur dicta decreta, ad quod etc. In fidem etc. hac die xii. februarii MDCCLIX.

[illegible] ria subinde impe[illegible] ne insignibus uti pos[illegible] confratres

§. 4. Præmissis vero non obstantibus subinde dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sub titulo sanctissimi Sacramenti in dicto castro sancti Petri canonice, ut pariter asseritur, erectæ per quoddam præceptum vulgo *Monitorio* per dilectum filium causarum curiæ cameræ apostolicæ generalem auditorem, inde obtentum impedire contenderunt, ne exponentes præfati indulto sibi concesso in posterum uterentur sub prætextu, quod ipsi in aliis circumstantiis facultatem elevandi proprium vexillum vulgo confalone antea obtinuerant; dicti autem exponentes, ne pro substinenda lite super usu hujusmodi vexilli magnos sumptus impendere cogerentur, eidem Benedicto prædecessori supplicari fecerunt, ut in præmissis silentium imponere, et quatenus opus esset, de novo dictam facultatem concedere de benignitate apostolica dignaretur. Idem Benedictus prædecessor supplici libello sibi porrecto aliud rescriptum apponi mandavit, quod idem Vincentius cardinalis, et archiepiscopus debitæ executioni demandare curavit, prout continetur in publico inde confecto ea super re instrumento, prævia insertione supplicis libelli ipsi Benedicto porrecti, et rescripti appositi tenoris, qui sequitur, videlicet.

In nomine Domini amen.

Tenor instrumenti executionis rescripti editi a Benedicto XIV. super exercitio gratiæ a Clemente XIII indultæ.

§. 5. Die xvii. julii MDCCLVI. coram emo, et rmo domino Vincentio miseratione divina tituli sanctorum Marcelli, et Petri, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Malvezzi, Bononiæ archiepiscopo, et Sacri Romani Imperii principe, et in hac parte delegato apostolico, ut infra comparuit eccmus dominus Antonius Rossi procurator seu etc. dominorum prioris, et confratrum venerabilis societatis sanctissimi Rosarii castri sancti Petri diœcesis Bononiæ, et reverenter eminentiæ suæ reverendissimæ exhibuit, et præsentavit supplices preces pro parte ejus principalium iterum porrectas ssmo domino Nostro pp. Benedicto XIV. feliciter regnanti pro habenda confirmatione facultatis utendi insigniis del confalone in processionibus, seu nova concessione facultatis ipsius, licet super prædictis ad instantiam aliorum confratrum societatis sanctissimi Sacramenti dicti loci castri sancti Petri transmissa fuerit quædam inhibitio expedita ab illustrissimo, et reverendissimo domino cameræ apostolicæ auditore, una cum rescripto eisdem precibus apposito ex audientia Sanctitatis suæ sub die x. julii currentis, in quo sanctissimus, prævia avocatione causæ ab A. C., et ab alio quovis judice, seu tribunali, indultum utendi infrascriptis insigniis del confalone nuncupatis confraternitati oratrici alias a Sanctitate Sua concessum benigne con-

firmavit, et quatenus opus sit, de novo concessit, dictæque confraternitatis priori, et hominibus hujusmodi insignium usum in processionibus perpetuo competere, nec ab aliis confratribus castri sancti Petri, etiam vigore anterioris cujusdam rescripti in aliis rerum circumstantiis a Sanctitate Sua emanati, et consecutivi decreti curiæ archiepiscopalis Bononiensis, seu alio quocumque prætextu iisdem prohiberi posse decrevit, et ad dominum cardinalem archiepiscopum Bononiensem F. C. Boschi secretarius L. ✠ B. et prout ex eodem rescripto manu illustrissimi, et reverendissimi domini F. C. Boschi secretarii firmato, illiusque sigillo munito: instarunt propterea per eminentiam suam reverendissimam in vim commissionis apostolicæ prædictæ declarari, quatenus opus sit, ita quod utile etc. et prout magis, et melius etc. locum esse executioni dicti rescripti, successiveque mandari ea omnia notificari tam dictis priori, et hominibus alterius societatis sanctæ Catharinæ castri sancti Petri, et super prædictis quodcumque decretum etc. et jus etc. implorando etc. et non solum etc. sed et omni etc. qui eminentissimus, et reverendissimus dominus cardinalis archiepiscopus judex etc. visis dictis precibus una cum rescripto illis apposito, eisque perlectis, et consideratis, mihi notario in suo originali tradidit, mandavitque perpetuo in actis asservari, indeque inhærendo instantiæ prædictæ, utpote justæ, rationique consonæ auctoritate etiam sibi a sanctissimo commissa utendo dixit, et declaravit quatenus opus sit etc. locum esse exequutioni prædicti rescripti sanctissimi; quapropter mandavit ea omnia notificari, cæterisque confratribus aliarum societatum prædictarum, nempe sanctissimi Sacramenti, et sanctæ Catharinæ dicti loci castri sancti Petri, et pro eis respectivo eorum priori, ne ullam valeant allegare ignorantiam usus prædictæ insignis del confalone, ut præfertur, concessæ, et futuris temporibus gestandi a dictis priore, et confratribus sanctissimi Rosarii, et in omnibus, et per omnia juxta petita, et ad formam rescripti sanctissimi, et non solum etc. sed et omni etc. Ego Vincentius cardinalis Malvetius archiepiscopus, et judex delegatus = sequitur tenor memorialis, et rescripti sanctissimi in hæc verba, videlicet.

*Tenor precum porrectarum Benedicto pontifici XIV. pro assequenda confirmatione gratiæ concessæ a Clemente XIII.*

§. 6. = Foris = Alla Santità di nostro signore papa Benedetto XIV. = per il priore, e confratri della veneranda confraternita del santissimo Rosario di Castel s. Pietro, diocesi di Bologna = Intus vero = Beatissimo Padre = Il priore, e confratri della venerabile confraternita del sanctissimo Rosario di Castel s. Pietro, diocesi di Bologna, oratori umilissimi della Santità vostra ossequiosamente espongono di avere ottenuta circa la metà di giugno dell' anno mille settecento cinquantaquattro, o altro più vero tempo per rescritto pontificio la grazia di potere alzare l' insegna detta del confalone; ed essendo in oggi gli oratori inquietati dall' altra venerabile confraternita del santissimo Sagramento mediante una inibizione di monsignore uditore della camera, con cui detta confraternita del santissimo Sagramento pretende contrastare l' uso del suddetto privilegio. Quindi per togliere di mezzo il dispendio della lite inevitabile fra li due luoghi pij; supplicano Vostra Santità degnarsi con altro suo special rescritto imporre silenzio alla inserta pendenza, confermando agli oratori la grazia di poter proseguire ad innalzare come sopra l' insegna del confalone, e quando la Santità Vostra lo giudichi necessario, concederla anche di nuovo. Che ec.

Ex audientia ssmi die x. julii MDCCLVI

*Tenor rescripti editi a Benedicto XIV.*

§. 7. Sanctissimus prævia avocatione causæ ab A. C., et ab alio quovis judice, seu tribunali, indultum utendi introscriptis insigniis del confalone nuncupatis confraternitati oratrici alias a Sanctitate Sua concessum benigne confirmavit, et quatenus opus sit, de novo concessit, dictæque confraternitatis priori, et hominibus hujusmodi insignium usum in processionibus perpetuo competere, nec ab aliis confraternitatibus castri sancti Petri, etiam vigore anterioris cujusdam rescripti in aliis rerum circumstantiis a Sanctitate Sua emanati, et consecutivi decreti curiæ archiepiscopalis Bononiensis, seu alio quocumque prætextu iisdem prohiberi posse decrevit, et ad dominum cardinalem archiepiscopum Bononiensem etc. I. C. Boschi secretarius.

L. ✠ B.

*Preces porrectæ pro obtinenda apostolica confirmatione.*

§. 8. In hoc rerum statu dicti exponentes licet nulla quæstio super indulto sibi concesso elevandi proprium vexillum, seu confalone oriri posse videatur, nihilominus ad dirimendas quascumque lites, quæ sub prætextu, quod

facultas sibi concessa per simplicia rescripta sit attributa in posterum oriri forsan possent, præmissa omnia per Nos confirmare, seu de novo concedi plurimum desiderent.

Tenor confirmationis.

§. 9. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicatiopis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinserta instrumenta ab ipso Vincentio cardinali, et archiepiscopo, ut præfertur, super præfata facultate elevandi proprium vexillum, seu confalone ipsis exponentibus concessa, inde confecta auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus, ac eisdem modernis, et pro tempore existentibus memoratæ archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii priori, officialibus, et confratribus facultatem elevandi proprium vexillum, vulgo confalone in quibusvis processionibus, et supplicationibus, aliisque publicis functionibus, servata tamen forma, et concessione, ac tenore primodicti præinserti instrumenti, auctoritate, et tenore præfatis, quatenus opus sit, de novo concedimus, ac impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, pontificatus Nostri anno secundo.

Pro domino card. Passioneo.
Joannes Florius substitutus.

Lis terminata fuit per rem judicatam.

§. 11. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet dilecti itidem filii confraternitatis sanctissimi Sacramenti in dicto loco castri sancti Petri canonice, ut asseritur, erectæ per quoddam præceptum, vulgo monitorio per dilectum filium causarum curiæ cameræ apostolicæ auditorem ab exponentibus obtentum anno scilicet MDCCLXXVII. fuerint admoniti, ut a novis jactationibus, et perturbationibus desisterent, qui vero ea occasione acriter in judicio impedire conati sint, ne exponentes prædicti indulto sibi, ut præfertur, concesso in posterum uterentur, nihilominus post longam litem eadem facultas per sententiam in rem judicatam per expensarum taxationem transactam fuit confirmata tenoris, qui sequitur.

Christi nomine invocato.

Tenor sententiæ in rem-judicatam prolapsæ.

§. 12. Pro tribunali sedentes, et solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de juris peritorum consilio in his scriptis ferimus in causa, et causis, quæ primo, et in prima, seu alia veriori coram Nobis versæ fuerunt, et vertuntur instantia inter venerabilem archiconfraternitatem ecclesiæ sanctæ Mariæ Majoris castri sancti Petri Bononiensis diœcesis, ejus dominos priorem, officiales, et confratres actores ex una, et venerabilem societatem sanctissimi Sacramenti dicti loci, ejusque pariter dominos officiales, atque confratres reos conventos partibus ex altera de, et super petita per eosdem actores manutentione in concessione juris, et privilegii elevandi in publicis functionibus, et processionibus quibuscumque per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum, seu confalone vigore facultatum eisdem actoribus concessarum gl. mem. Benedicto XIV., exinde confirmatarum a sa. me. Clemente XIII. per literas in forma Brevis expeditas sub datum Romæ die quarta septembris millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, ad quas etc. rebusque aliis in actis causæ etc. latius deductis (firmis remanentibus decreto, et mandato de manutenendo per Nos contempora-

neis facte, et respective relaxatis) dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus, exceptiones omnes, et singulas pro parte dictæ venerabilis societatis sanctissimi Sacramenti, ejusque officialium, et confratrum reorum conventorum datas, atque propositas nullius fuisse roboris, et momenti, proptereaque reijciendas fore, et esse, prout reijcimus, et pro rejectis haberi volumus, atque mandamus, easque propterea non obstitisse, neque obstare ad effectum impediendi actoribus manutentionem prædictam in omnibus, et per omnia ad formam dicti pontificii indulti gloriosæ recordationis Benedicti XIV., ejusque confirmatoriarum literarum in forma Brevis sa. me. Clementi XIII. decernimus, et declaramus, perpetuumque silentium super præmissis omnibus imponendum fore, et esse, prout imponimus, et pro imposito haberi volumus, atque mandamus. Partemque victam victrici in expensis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure in posterum reservamus. Et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus non solum præmissos sed et omni alio meliori modo.

Ita pronunciavi ego T. Gavotti A. C. Locumtenens.

Ac etiam audito venerabili fratre Nostro archiepiscopo Bononiense, indultum prædictum per dilectum filium Nostrum Bernardinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Giraud nuncupatum pro-auditorem confirmavimus, et approbavimus, ut ex rescripto tenoris, qui sequitur.

Ex audientia sanctissimi Die 12. augusti 1780.

Tenor rescripti editi ab auditore sanctissimi.

§. 13. Sanctissimus, auditis informatione, et voto eminentissimi domini cardinalis archiepiscopi Bononiensis, privilegium elevandi in publicis functionibus, et processionibus quibuscumque per castrum sancti Petri habendis vexillum, seu confalone venerabili archiconfraternitati oratrici indultum a sanctæ memoriæ Benedicto XIV., et subinde a sanctæ memoriæ Clemente XIII. confirmatum, benigne iterum confirmavit, et approbavit juxta petita; nec non insuper ad dirimendas, præcidendasque lites, et controversias super eodem vexillo fortasse exoriendas, declaravit, eidem archiconfraternitati oratrici licere uti proprio vexillo, seu confalone eisdem modo, et forma, quibus utuntur et sacrosanctæ urbis basilicæ, et venerabilis archiconfraternitas sanctæ Mariæ Vitæ ejusdem civitatis Bononiensis, contrariis quibuscumque non obstantibus: et ad eminentissimum dominum cardinalem Brevium pro-secretarium pro expeditione Brevis in forma.

B. card. Giraud pro-auditore.

Loco ✠ signi.

Preces porrectæ pro obtinenda nova apostolica confirmatione.

§. 14. Hinc, ut tam dictas literas apostolicas memorati Clementis prædecessoris Nostri, nec non sententiam A. C., ac prædictum rescriptum, quo firmius subsistant, atque serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio per literas in simili forma Brevis communiri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 15. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, præinsertas memorati Clementis prædecessoris apostolicas literas, nec non dictam sententiam A. C., et Nostrum rescriptum auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, eique apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; mandantes propterea, ut quidquid, tum a memoratis literis, tum a præinserta sententia, ac Nostro rescripto fuit constitutum nullo unquam prætextu, causa, colore, ac juris remedio, vel etiam enormis, enormissimæ læsionis impugnari, retractari, aut in controversiam revocari possit; sed semper, ac perpetuo inviolabiliter ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit observari omnino debere, silentium etiam confratribus societatis prædictæ sanctissimi Sacramenti, nec non in omnibus, qui prædictis sese opponere audebunt, imponentes.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et de-

legatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia septembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 27 septembris 1780 Anno VI.

## CCLXXXI.

Confirmatio epistolæ secretariæ status super urna, seu bussolo magistratuum civitatis Pisaurensis alias datæ.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium

§. 1. Circumspecta Romani pontificis omnium Christifidelium patris, et pastoris providentia, sicut spiritualibus Dominici gregis sibi divinitus commissi utilitatibus jugi vigilantia consulere studet, ita et temporalibus suorum, et apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis paterno studio providere satagit, prout æquitatis, et justitiæ ratio suadet, reipublicæ salus exposcere comperitur.

Memoratur concessio facta per epistolam secretariæ status

§. 2. Alias sane electionariorum civitatis Nostræ Pisaurensis precibus annuentes de venerabilium fratrum Nostrorum negociis, et consultationibus status ecclesiastici præpositorum consilio per epistolam secretariæ status die prima martii currentis anni MDCCLXXX dilecto filio magistro Karolo Levizzani ducatus Urbini præsidenti datam, capitulum V. additionum aliis capitulis anno MDCCVIII quoad urnam, seu bussolo magistratuum prædictæ civitatis Pisaurensis editis anno MDCCXXVII factarum in ea parte, quæ possessoribus feudorum immediatum gradum confalonerii, quin ille esset ab ipsis per inferiores magistratuum gradus, cæteroquin æque nobiles, adipiscendus, concedebat, seu veluti concessum ponebat, auctoritate Nostra apostolica antiquavimus, ac refiximus.

Tenor precum porrectarum.

§. 3. Cum autem, sicuti Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii electionarii civitatis prædictæ, nihil fuit æque, quod ab omnibus civibus libentius acceptatum extiterit, quam hujusmodi resolutio ex eo, vel maxime quod sartum tectumque nonnullis familiis, ac personis jus obtinendi immediate gradum confalonerii ipsis, vel ex consularibus resolutionibus, vel ex præscriptione, vel ex aliis titulis competentibus servatur: ipsi, quo firmius capituli quinti hujusmodi abrogatio, cum jam epistola secretariæ status prædicta debitæ exequutioni fuerit demandata, ac in posterum semper, et quandocumque servetur exactius apostolicæ confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio apostolica prioris concessionis.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiastictis censuris, sententiis, et pœnis quovis, modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati prædictarum capituli V additionum aliis capitulis anno MDCCVIII super urna, seu bussolo magistratuum dictæ civitatis Pisaurensis editis anno MDCCXXVII factarum abrogationem, ac abolitionem per memoratam epistolam secretariæ status, ut præfertur, demandatam, atque præscriptam auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus in posterum pro abrogato, ac abolito capitulo V. prædicto semper haberi volumus, et jubemus.

Clausulæ salutares, et irritantes

§. 5. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus

super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis Pisaurensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXXXII.

Dat die 27 septembris 1780 Anno VI.

Allocutio habita in consistorio secreto in propositione coadjutoriæ ecclesiarum Coloniensis, et Monasteriensis pro regio principe Maximiliano archiduce Austriæ.

Venerabiles fratres.

Laudes principis regii.

§. 1. Dilectissimum in Christo filium Nostrum Maximilianum archiducem Austriæ, cui apostolica auctoritate concessimus, ut in coadjutorem, futurumque successorem eligi posset venerabilis fratris Coloniensis, et Monasteriensis antistitis, in id ipsum consentientis, idque a Nobis etiam ob provectam ætatem, gravissimasque ob causas enixe flagitantis, jam in utrisque nuper habitis capitolorum comitiis electum suffragiis omnibus, cooptatumque esse plurima cum jucunditate accepimus. Præter cætera Austriacæ domus ornamenta, propriis regium principem pietatis, religionisque laudibus florere Nos ipsi, vobiscum facile perspeximus, cum quinque ab hinc annis aliquo temporis spatio hic apud Nos commoratus esset, neque ullis propterea testimoniis, etsi plurima luculentissimaque suppeterent, indigeimus, quin præclare de egregia illius indole assentientibus bonis omnibus judicaremus.

Ex Austriaca familia seligi solent etiam ætate minores ad grave episcopi munus subeundum.

§. 2. Propterea nequaquam obesse Nobis posse visa est nondum plane matura muneri episcopàtus subeundo illius ætas, cum adhuc superstite, atque incolumi Coloniensi, et Monasteriensi antistite, cui successurus est, animum ipse una cum ætate in gerendis pastoralibus curis magis in dies confirmare possit, cumque in hoc ipso secuti Nos simus prædecessorum Nostrorum exempla, qui antea ex Austriaca familia minores etiam natu, quam Maximilianus nunc sit, ad ejusmodi ecclesiastica munera provehendos non sine summa ratione sunt arbitrati. Eos enim, qui essent ex hujusmodi clarissimis et potentissimis familiis optimeque de catholica religione meritis ad regendas delecti ecclesias, quæ præsertim in acatholicorum finibus sint constitutæ, maxime ipsis prodesse, et consulere posse existimarunt, atque abunde, quod deesset ætati, tanta spe utilitatis esse pensatum. Quin memoria repetentes sacros præteritorum Ecclesiæ temporum annales, cum intelligamus multos ad episcopatum evectos in ipso adolescentiæ flore, eximiis statim virtutum fructibus exuberasse, quid ni magnas, egregiasque Nos habere causas in Maximiliano lætemur, præclara Nobis omnia de illo pollicendi, cum suas explicare regias animi dotes in episcopatu cœperit? Ac jam nunc ipsum Deo vocanti obsequentem, suscepto ecclesiastico habitu, ecclesiasticis itidem ordinibus aliquot per Viennensem Nostrum nuncium initiatum, ac plurimam sacris studiis, pietatique navantem operam, nonne ad eximium usquequaque informari dicemus episcopalis vitæ specimen, atque illud exequi beati Pauli monitum, dum ad Timotheum in hæc verba scriberet: *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium.*

Exponuntur rationes suadentes electionem ad majorem ecclesiæ decorem.

§. 3. Hæc Nos vobiscum, venerabiles fratres, libentissime communicamus, ut nedum excellentium virtutum expectationem, sed præsens etiam excitemus in Nobis, ac percipiamus gaudium ex redundaturo non solum in amplissimas ecclesias Coloniensem, et Monasteriensem emolumento, ac decore, sed in universam etiam Catholicam Eccle-

siam, ac religionem præsidio, atque incremento. In id ipse pares præstanti huic voluntati suæ, opes etiam facultatesque afferet atque adjunget, et ex maxima Austriacæ familiæ dignitate, et ex singulari potentissimæ, amatissimæque parentis, atque augustissimi fratris germani gratia. In domesticis etiam præteritorum temporum exemplis, jam a seculo XIII. repetitis, abunde habet, quos in suscepto ecclesiasticæ, atque episcopalis vitæ genere non solum imitetur, verum etiam constanti virtutum æmulatione rerumque gerendarum opportunitate anteire possit, ac præcurrere. Sed inter ceteros præterire silentio non possumus, qui fama ac meritis eminet, cardinalem Andream ab Austria, quem ecclesias Constantiensem, ac Brixinensem summa pietatis laude, religionisque studio moderatum esse non ignoramus. Catholicæ præsertim fidei propugnator is fuit acerrimus, commissosque sibi populos ab hæreticorum tum præcipue grassantium pravitate, sua vigilantia, atque auctoritate tutatus est, ac etherodoxorum etiam plurimos non minus virtutibus, quam consiliis suis ab errore revocavit. Dum anno jubilæi singulare suæ pietatis exhiberet specimen, ac e Belgio Romam sub peregrinantium habitu latens advenisset, agnitus porro, ac statim a Clemente VIII. in Vaticanum vocatus, hospitioque exceptus, ibidem in morbum incidit, quo in dies ingravescente, demum in paterno illius sinu, atque complexu, migrante ad Deum animo, maximo dolore, luctuque omnium extinctus est. Proinde merito magnum ipsius nomen erat, dum viveret, apud omnes ejus temporis Romanos pontifices, magna laus, actionumque admiratio. Nos item hanc illius memoriæ laudem Nostro hoc tempore in Austriaco principe Maximiliano renovandam esse, majorem in modum confidimus, ob expressam ipsius regiæ indolis præstantiam, quam præcipue præferet, et confirmabit, cum maximo succedet oneri, et in gerendo S. R. I. electoratu, et quod primum ac præcipuum est, in moderandis sacrarum ecclesiarum diœcesibus, curanda animarum salute, divinaque gloria provehenda. Propterea eximia in illum paterna charitate inflammati, ac sanctæ hujus Sedis beneficiis eundem ultro prosequentes, jam quod nunc ad rem pertinet . . . . . . .

*Sequitur propositio ecclesiarum Coloniensis, et Monasteriensis in forma consueta.*

CCLXXXIII.

Dat. die 27 septembris 1780 Anno VI.

Suppressio cathedralis Mirandensis cum illius unione cathedrali Brigantiensi, ac erectione primodictæ cathedralis suppressæ in collegiatam insignem, et in ea undecim canonicatuum, et avocatione causæ indulto retinendi titulum episcopi cathedralis suppressæ, suppressione duorum canonicatuum, et alterius dimidii canonicatus, reservatione quinque pensionum perpetuarum super fructibus quinque parochialium, illarumque applicatione mensæ capitulari dictæ collegiatæ sic erectæ, indulto favore undecim canonicorum utendi mozzetta, facultate condendi statuta, reservatione juris nominandi ad dictos undecim canonicatus favore reginæ fidelissimæ, ejusque successorum Portugalliæ regum.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanus pontifex super universam agri Dominici curam, et inspectionem divinitus constitutus, ut juxta verbum illud propheticum pro rerum, et temporum varietate succreta germina modo avellat, et plantet; quandoque dudum ædificata destruat, alioque transferat, seu rursum ædificet, dum personarum regia potestate fulgentium ingeniosa, iterumque de catholicæ religionis incremento, et animarum salute perspecta sollicitudo ea Sedi apostolicæ uti gratiarum fonti rationum momenta defert, per quæ aliquæ episcopales ecclesiæ alias tamquam nova fidei tentoria, ac propugnacula erectæ pro temporalium tamen rerum angustia seu climatis, vel regionis, aliove satis comperto pastoris incommodo, juxtaque, et rationabili causa aliis reuniri debeant ecclesiis, quæ antea ex illis ortum habuere, quoties in bonum ipsius religionis id protendere noscit de sibi tradita cœlitus potestate per ministerium suppressionis cuicumque incommodo satagit providere, aliaque pro divini cultus honore disponit, prout pia vota personarum hujusmodi exigunt, et ipse in Domino conspicit expedire. Proœmium.

§. 2. Cum itaque sicut ex insinuatione charissimæ in Christo filiæ Nostræ Ma- Exponitur erectio ecclesiæ

Mirandensis facta a Paulo III

riæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ per dilectum filium Henricum de Menezes suum apud Nos, et Sedem apostolicam ministrum plenipotentiarium Nobis facta nuper accepimus dudum felicis recordationis Paulus pp. III. prædecessor Noster precibus claræ memoriæ Joannis III., dum viveret, eorumdem Portugalliæ, et Algabiorum regis, tunc eidem Paulo prædecessori porrectis annuendo de anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto ex archiepiscopatu Bracharense, quandam illius diœcesis portionem apostolica auctoritate perpetuo sejunxerit, et dismembraverit. Ac ex illa sic sejuncta, et dismembrata ad hoc, ut novus episcopatus efformari valuisset infrascriptam parochialem ecclesiam beatæ Mariæ virginis in oppido Mirandense, tunc civitatis titulo, et honore decorato existente, prævia illius tituli collativi suppressione, et extinctione in cathedralem ecclesiam Mirandensem, et in ea sedem, et dignitatem episcopalem pro uno episcopo Mirandense, eadem apostolica auctoritate perpetuo erexerit, et instituerit.

Deteguntur incomoda, quæ manabant ab prædicta erectione.

§. 3. Ac, ut similiter accepimus, cum præfata civitas Mirandensis in qua sedes episcopalis sic erecta, et instituta hujusmodi constituta licet in eminentiori esset ædificata loco, aere fruatur purissimo nihilominus in extrema totius diœcesis Mirandensis parte constituta reperiatur, experientia, hinc compertum fuit, incommodis, quæ causam eidem dismembrationi a præfato archiepiscopatu Bracharense, ut præfertur, factæ præbuerunt non satis obviam itum fuisse, pro eo quod cum diœcesis Mirandensis præfata ad viginti duas leucas, quæ septuaginta circiter milliaria Italica conficiunt extendatur; sedes autem episcopalis hujusmodi in angulo, seu in extrema ipsius diœcesis Mirandensis parte constituta, ut præfertur, existeret. Hæc proinde erat incommoda tum episcopo Mirandensi, tum etiam illius diœcesanis, iis videlicet quia non sine difficultate datum erat dictum episcopum adire necessitate occurrente. Ipsi vero episcopo quia suam diœcesim lustrare non poterat hyemali quidem tempore ob gelu, et nives, quæ montes illarum partium obtegunt, et vias ob fluminum, et aquarum inundationes propter quas impervia redduntur itinera. Aestivo autem tempore ob calores, qui maxime in ea regione dominantur, atque impedimento sunt, ne quis se se itineri committat.

Quomodo obvenerit erectio sive translatio sedis episcopalis in civitate Brigantiensi annuente rege peracta, memoratur.

§. 4. Ex quo factum est, ut duorum, et ultra sæculorum spatio vix datum fuerit episcopum utcumque animarum zelo succensum reperire, qui ad sacrorum canonum, ac præsertim concilii Tridentini præscriptum integram, vel semel eamdem Mirandensem lustraverit diœcesim, donec quidam bonæ memoriæ Alexius, dum viveret, Mirandensis episcopus, cum animadvertisset civitatem Brigantiensem tunc sub eadem Mirandense diœcesi existentem satis amplam, et populosam, eamdem veluti in totius dictæ Mirandensis diœcesis centro sitam esse, postquam per plures annos in ea resederat, eodem prædefuncto Josepho, dum viveret, eorumdem Portugalliæ, et Algarbiorum rege assentiente in eadem Brigantiense civitate dictam episcopalem sedem constituit, et in eam ipsius cathedralis Mirandensis capitulum, et canonicos ordinaria ipsius Alexii episcopi auctoritate respective transtulit. Cujus quidem translationis gratia plana, et facilia reddita fuerunt omnia, quæ antea difficilia erant, et perincommoda. Nam et episcopus Mirandensis præfatus suam integram diœcesim hujusmodi singulis annis tunc visitare poterat. Veris, et autumni temporibus, et diœcesanis præfatis facilis etiam tunc patebat ad ipsum Mirandensem episcopum accessus; hujusmodi autem res eo loci permansit donec idem Alexius episcopus a vinculo, quo dictæ Mirandensis ecclesiæ, cui tunc ac etiam dum viveret præerat, tenebantur apostolica auctoritate præfata absolutus ad ecclesiam Portugallensem certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam dicta apostolica auctoritate translatus fuit.

Dismembratis ecclesiis Clemens XIV. duas constituit sedes episcopales.

§. 5. Dicta igitur Mirandensis ecclesia per hujusmodi translationem similiter pastoris solatio tunc destituta existente, in eam sententiam descensum fuit, ut magis expediens, utiliusque Christifidelium animarum saluti fuisset, dictam Mirandensem diœcesim in duos episcopatus dividere. Ac idcirco eodem Josepho rege tunc desuper postulante felicis etiam recordationis Clemens pp. XIV prædecessor quoque Noster præmissis rationibus sibi ex parte præfati Josephi regis tunc expositis mature perpensis, prævia dictæ Mirandensis diœcesis dismembratione, in oppido Brigantiense civitatis titulo, et honore etiam decorato unam, similiter cathedralem

ecclesiam Brigantiensem, et in ea itidem sedem, et dignitatem episcopalem pro uno episcopo Brigantiense apostolica auctoritate præfata pariter perpetuo erexit, et instituit; dictæque Brigantiensi ecclesiæ sic erectæ, et institutæ portionem præfatæ Mirandensis diœcesis, ut præfertur, dismembratæ pro suis territorio, et diœcesi Brigantiensi etiam perpetuo attribuit.

Nihilominus nonnulla incommoda præcavenda supererant, quæ enumerantur.

§. 6. Verum nec præfatæ diœcesis divisio, ut præfertur, facta, nec novi episcopatus Brigantiensis erectio hujusmodi satis fuere ad omnia supradicta incommoda præcavenda; fieri enim non poterat, ut alter ex duobus episcopis tantum haberet, unde episcopalem dignitatem decenter tuerentur, dum alteri uberiores proventus, ac fructus cederent. Quandoquidem licet territorium Mirandense in duas fere æquales partes divisum fuisset, tres nihilominus redditnum partes Mirandensi quarta autem, et reliqua pars Brigantiensi respective episcopis obveniebat. Quocirca cum fieri non possit, ut episcopus Brigantiensis per se maneat, et subsistat nisi aliunde parentur media ad illius procurandam congruam substentationem, et ad diœcesanorum suorum indingentiis sublevandum eo magis, quod deterior etiam ejusdem episcopi Brigantiensis evaderet conditio, si forte restituto capitulo Mirandense, ad suam Mirandensem ecclesiam ex qua, ut præfertur, de ejusdem Josephi regis consensu, et dicta ordinaria tantum, non autem apostolica auctoritate ad Brigantiensem ecclesiam sic erectam translatum extitit, novum in ipsa Brigantiensi ecclesia capitulum erigendum esset.

Incommoda removere satagit regina Portugalliæ, implorata suppressione sedis Mirandensis, et illius unione ecclesiæ Brigantiensi.

§. 7. Cum itaque hæc omnia præfatæ Mariæ Franciscæ reginæ probe innotescerent, dum scilicet ipsa præmissis incommodis remedium afferre meditabatur, evenerit, ut venerabilis frater Noster Michael Barreto de Menezes nuper episcopus Mirandensis, ecclesiam Mirandensem, cui tunc praeerat, illiusque regimen, et administrationem in manibus Nostris sponte, et libere dimiserit, et per hujusmodi dimissionem, ut præfertur, factam, et per Nos nuper admissa dicta Mirandensis ecclesia pastoris solatio etiam destituta ad præsens existat. Ac in hujusmodi rerum circumstantia idem Henricus ipsius Mariæ Franciscæ reginæ nomine supradicto Nobis humiliter supplicaverit, quatenus cathedralem ecclesiam Mirandensem præfatam, illiusque sedem, et dignitatem episcopalem, ut infra perpetuo supprimere, illamque sic supprimendam, ac ejus episcopalem mensam, nec non civitatem, et diœcesim Mirandensem episcopatui Brigantiensi, illiusque respective diœcesi, etiam ut infra, perpetuo unire, et incorporare. Ac præfatam cathedralem ecclesiam Mirandensem sic supprimendam in secularem, et insignem collegiatam, quæ etiam parochialis, ut antea existat, ecclesiam similiter, ut infra, perpetuo erigere, et instituere, aliaque infrascripta concedere dignaremur.

Suppressio cathedræ episcopalis Mirandensis.

§. 8. Nos igitur præmissis omnibus matura deliberatione perpensis, tam pia vota ejusdem Mariæ Franciscæ reginæ obsecundare, illiusque supplicationibus per ipsum Henricum Nobis, ut præfertur, porrectis annuere cupientes: motu-proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine in dicta civitate Mirandense episcopalem cathedram, dignitatem, et sedem Mirandensem, illiusque titulum, et denominationem, nec non præfatam cathedralem ecclesiam cum universa diœcesi Mirandensi, illiusque diœcesano jure, eidem ecclesiæ, ac sedi episcopali Mirandensi hactenus annexo, ita ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus cathedralis ecclesia Mirandensis denominari, nec ullus de dicta Mirandense ecclesia provideri, eique in episcopum, et pastorem præfici ab apostolica Sede amplius nequeat apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo supprimimus, et extinguimus, illisque sic suppressis, et extinctis præfatam civitatem Mirandensem, illiusque diœcesim, ut præfertur, suppressam, et in eis respective existentes, et existentia collegiatas parochiales, et alias ecclesias, dictarumque parochialium ecclesiarum, perpetuas vicarias, monasteria, præposituras, præpositatus, prioratus, conventus, et alia quæcumque, quotcumque, et qualiacumque, cum cura, et sine cura sæcularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, etiamsi seculares, videlicet, canonicatus, et præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva etiam in collegiatis, aliisque ecclesiis præfatis; regularia vero beneficia hujusmodi, præpositatus, præpositūræ dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes, et officia etiam claustralia, cappellaniæ, et cappellæ sint, et ad dignitates, prioratus, præposituras, et præpositatus hujusmodi consueverint, qui

per electionem assumi, dictarumque civitatis, et diœcesis Mirandensis, utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque, cujusvis status, gradus, ordinis, et conditionis existant, ecclesiæ, et diœcesi Brigantiensi, ita quod liceat venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti epicopo Brigantiensi per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in civitate, et diœcesi Mirandensi præfatis, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere.

Incorporatur ecclesiæ Brigantiensi, cum subjectione archiepiscopo Bracharensi uti metropolitano.

§. 9. Venerabilis quoque fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Bracharensis uti metropolitani, et cujusvis alterius licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate præfata itidem perpetuo adjungimus, et incorporamus, ac ordinariæ jurisdictioni, potestati, et superioritati ejusdem moderni, et pro tempore existentis episcopi Brigantiensis etiam perpetuo supponimus, atque subijcimus. Ita ut ex nunc deinceps civitas, et diœcesis Mirandensis hujusmodi, et in eis respective consistentes personæ supradictæ præfato moderno, et pro tempore existenti episcopo Brigantiensi, qui simul episcopi Mirandensis titulo, et denominatione, ut infra, gaudere debeat subjectæ sint, sicque ab uno, eodemque episcopo Brigantiensi, et Mirandensi regenda sint, et gubernanda, ac insuper omnia, et singula bona, redditus, proventus, res, propietates, et jura quæcumque, et in quacumque re consistentia ad præfatam mensam episcopalem Mirandensem quomodolibet spectantia, et pertinentia episcopali mensæ præfatæ ecclesiæ Brigantiensis ita pariter, ut liceat præfato moderno, et pro tempore existenti episcopo Brigantiensi, ut infra, episcopo Mirandensi etiam denominando ejus, ac dictæ mensæ episcopalis Brigantiensis nomine omnium, et quorumcumque præfatæ mensæ episcopalis Mirandensis bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditunm, proventuum, ac jurium universorum præfatorum, veram, realem, actualem, et corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria itidem auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illaque respective locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, et recuperare, ac in suos, et dictæ mensæ episcopalis Brigantiensis usus, et utilitatem convertere, cujusque licentia desuper minime requisita, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo unimus, applicamus, et appropriamus.

Avocantur ad s. Sedem lites exortæ super translatione sedis Mirandensis, illisque finis imponitur.

§. 10. Quoniam vero super nullitate translationis ejusdem capituli, et canonicorum dictæ cathedralis ecclesiæ Mirandensis, ut præfertur, suppressæ ordinaria auctoritate præfata etiam, ut præfertur, facta lis, et causa, ut etiam accepimus, coram certo, seu certis illarum partium judice competente, seu judicibus competentibus inter certas ecclesiasticas, seu sæculares personas, quas præsentibus haberi volumus pro expressis ex una, et altera partibus alias introducta adhuc pendeat indecisa. Nos propterea volentes quæcumque jurgiorum, et discordiarum semina penitus eliminare, illisque finem imponere litis, et causæ præfatarum in quocumque tribunali, et coram quocumque judice etiam quavis dignitate, ac prærogativa fulgente, ac potestate, et auctoritate fungente pendentium, statum, et merita, nominaque, et cognomina eorumdem judicum, et collitigantium, et alia quæcumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus litem, et causam hujusmodi a quocumque tribunali præfato, et a quocumque judice supradicto, ad Nos, apostolica auctoritate præfata, earumdem tenore præsentium avocamus, illasque penitus, et omnino supprimimus, et extinguimus, perpetuumque silentium desuper imponimus.

Confirmatur auctoritate apostolica translatio sedis Mirandensis facta originaliter absque Sedis apostolicæ beneplacito.

§. 11. Ac translationem dicti capituli Mirandensis licet nulliter, et absque Sedis apostolicæ beneplacito, ut præfertur, factam hujusmodi nihilominus ipsarum tenore præsentium ratam habendo dicta apostolica auctoritate pariter perpetuo approbamus, et confirmamus, omnesque, et singulos alios quam præmissos tam juris, quam facti, et solemnitatum, aliosve quantumvis substantiales defectus, si qui desuper in hujusmodi translatione, ut præfertur, facta intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, intelligi, aut prætendi possent, supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tol-

limus, et abolemus. Et quatenus opus sit, præfatos capitulum, et canonicos dictæ cathedralis ecclesiæ Mirandensis, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ ad dictas civitatem, et ecclesiam Brigantiensem, reservationibus tamen, et affectionibus apostolicis in vacationibus dignitatum, canonicatuum, et præbendarum, dimidiorum canonicatuum, et dimidiarum præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum ejusdem capituli sic translati pro tempore occurrentibus, salvis, firmis et illæsis remanentibus eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo de novo transferimus, in modum tamen, ut iidem capitulum, et canonici Mirandenses in civitatem, et ecclesiam Brigantiensem hujusmodi per Nos, ut præfertur, de novo translati nunc, et pro tempore existentes perpetuis futuris temporibus, in ipsa cathedrali ecclesia Brigantiensi, cum omnibus, et singulis bonis, redditibus, juribus, honoribus, prærogativis, quæ eisdem capitulo, et canonicis per Nos ad ecclesiam Brigantiensem præfatam, ut præfertur, de novo translatis dum in ecclesia Mirandensi hujusmodi, ut præfertur, suppressa et extincta residerent competebant, manere debeant, et in capitulum, et canonicos ipsius ecclesiæ Brigantiensis respective subrogati censeantur, et sint.

Servatur titulus Mirandensis, et decernitur illum esse assumendum ab episcopoBrigantiensi.

§. 12. Ne autem ecclesia episcopalis Mirandensis, ut præfertur, suppressa, et extincta per hujusmodi suppressionem, et extinctionem, ut præfertur, factas memoria pereat eidem moderno episcopo Brigantiensi, ut ipse, ut præfertur, modernus, et pro tempore existens episcopus Brigantiensis titulum, et denominationem episcopi Mirandensis retinere, illoque respective, uti, et gaudere possit, ita ut idem modernus, et pro tempore existens episcopus Brigantiensis, in omnibus, et quibuscumque actibus episcopus Mirandensis, et Brigantiensis nuncupari, et inscribi, ac uti talis ab omnibus, et quibuscumque recognosci, haberi, et reputari respective debeat apostolica auctoritate præfata itidem perpetuo concedimus, et indulgemus.

Reintegratur ecclesia Mirandensis in parochialem, et vetera eidem conceduntur privilegia.

§. 13. Cum vero, ut pariter accepimus, dicta cathedralis ecclesia Mirandensis, ut præfertur, suppressa, et extincta antequam in cathedralem ecclesiam hujusmodi erigeretur, ut præfertur, parochialis ecclesia existeret, et in ea una perpetua rectoria, pro uno rectore, seu parocho, ac duo perpetua simplicia, personalem tamen residentiam requirentia, beneficia ecclesiastica pro duobus presbyteris perpetuis in dicta tunc existente parochiali ecclesia beneficiatis in curæ animarum parochianorum dictæ tunc existentis parochialis ecclesiæ exercitio coadjutoribus tunc nuncupatis respective erecta, et instituta, quæ postmodum in actu erectionis, et institutionis ejusdem cathedralis ecclesiæ Mirandensis, per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ, pariter suppressa, et extincta fuere, reperirentur. Nos idcirco ne divinus cultus imminuatur, sed ut iterum in eadem ecclesia Mirandense per Nos, ut præfertur, suppressa, et extincta, divina officia, cæteræque functiones ecclesiasticæ debito cum honore peragantur, eamdem cathedralem ecclesiam Mirandensem, ut præfertur, suppressam, et extinctam, in secularem, et insignem collegiatam, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesia sub invocatione ejusdem beatæ Mariæ virginis Mirandensis cum capitulo, choro, mensa capitulari, arca, sigillo, bursa communibus, omnibusque aliis, et singulis signis, insigniis, prærogativis, libertatibus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, et gratiis aliis sæcularibus, et insignibus collegiatis ecclesis de jure, usu, stylo, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet non tamen titulo oneroso acquisitis, aut ex indulto, seu privilegio particulari concessis, et competentibus.

Erigitur de novo capitulum illiusque dignitates constituuntur.

§. 14. Et in ea unum canonicatum, et unam prioralem nuncupandam præbendam pro uno actu presbytero futuro illius canonico priore nuncupando, qui dictæ collegiatæ, quæ parochialis ut antea existat, ecclesiæ, ut infra, erigendæ, illiusque capituli caput existat, et tam in choro, quam capitulo præfato, processionibus, aliisque actibus, et functionibus capitularibus tam publicis, quam privatis præsit, ac præeminentiam, et præcedentiam habeat: cuique animarum dilectorum filiorum parochianorum dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat, ecclesiæ, ut infra erigendæ cura principaliter immineat. Ac alios duos canonicatus, et totidem presbyterales nuncupandas præbendas primo erigendos, et erigendas, quibus prævia ordinarii approbatione onus coadjuvandi ipsum pro tempore futurum canonicum priorem dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea etiam, ut præfertur, existat, ecclesiæ, ut infra erigendæ in

exercitio curæ animarum parochianorum hujusmodi respective pariter immineat pro duobus itidem actu presbyteris futuris ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur, existat ecclesiæ canonicis, curatis respective nuucupandis, qui una cum eodem pro tempore futuro canonico priore a servitio, et præsentia chori ipsius collegiatæ, quæ parochialis, ut antea, ut præfertur, existat ecclesiæ, ut infra erigendæ, quoties ratione exercitii curæ animarum hujusmodi legitime impediti fuerint, exempti existant, et nihilominus infrascriptas distributiones quotidianas lucrari valeant perinde, ac in choro præfato interessent. Nec non stallum in eodem choro, ac locum, et vocem in capitulo dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ ut infra erigendæ, aliisque prærogativis, quibus cæteri infrascripti octo canonici, ut infra, utentur, et fruentur pari formiter uti, et frui debeant. Ac reliquos octo canonicatus, et octo præbendas pro totidem clericis, seu presbyteris futuris quoque ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ, ut infra, erigendæ canonicis, qui illius choro præfato interesse, ejusque servitio, horisque canonicis diurnis, et nocturnis, cæterisque divinis officiis, et functionibus ecclesiasticis obstricti existant. Ac omnia, et singula onera, et suffragia, quæ vel juxta veteres obligationes, institutiones, et contractus, aut receptarum eleemosynarum causa, alias per cappellanos dictæ cathedralis ecclesiæ Mirandensis, per Nos, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ adimplebantur, simili modo per turnum adimplere, eisque satisfacere debeant, adeout in capitulum, et canonicos dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ, ut infra erigendæ, omnia onera supradicta, ac etiam emolumenta, et eleemosynæ, quæ ex eisdem obveniunt, quæque inter eosdem canonicos ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ, ut infra, erigendæ devidentur perpetuo translata censeantur, apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo erigimus, et instituimus.

Supprimuntur duo canonicatus, et ex illis consulitur fabricæ ecclesiæ.

§. 15. Illisque sic erectis, et institutis ad hoc, ut dictorum undecim canonicatuum, totidemque præbendarum hujusmodi, ut præfertur, erectorum, nec non fabricæ dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat, ecclesiæ, ut præfertur, erectæ respective dos, seu fundum constitui posset, duos canonicatus, et duas præbendas ipsius cathedralis ecclesiæ Mirandensis per Nos, ut præfertur, suppressæ, certo quem eisdem præsentibus haberi volumus pro expresso modo extra Romanam curiam respective, ut etiam accepimus, ad præsens vacantes ex nunc, ac dimidium canonicatum, et dimidiam præbendam ejusdem cathedralis ecclesiæ Mirandensis per Nos etiam, ut præfertur, suppressæ, per dilectum quoque filium modernum dimidium canonicum parochum nuncupatum, qui in dicta civitate Mirandensi curam animarum dilectorum pariter filiorum parochianorum dictæ cathedralis ecclesiæ Mirandensis per Nos, ut præfertur, suppressæ actu exercet, ut pariter accepimus, ad præsens obtentos ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam tamen dimidium canonicatum, et dimidiam præbendam præfatos ex illos nunc obtinentis præfati persona quovis modo vacare contigerit, illorumque, et illarum respective titulum collativum nomen, denominationem, naturam, et essentiam ita quod illi, et illæ ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativi esse desinant, et de cætero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, seu de illis quovis modo disponi amplius nequeat. Etsi illos, et illas deinceps ullo umquam tempore conferri, seu impetrari, aut commendari, vel alias de illis disponi contigerit, collationes, impetrationes, commendæ, aliæque dispositiones de illis pro tempore quomodolibet factæ, nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque supprimimus, et extinguimus.

Ex prædictis præbendis imminutis aliæ eriguntur.

§. 16. Dictorumque duorum canonicatuum, totidemque præbendarum sic vacantium, ut præfertur, ex nunc ac dimidii canonicatus, et dimidiæ præbendæ hujusmodi postquam, ut præfertur, vacaverint respective suppressorum, et suppressarum respective fructus, redditus, et proventus ad septies centena, et quinquaginta millia regalium monetæ illarum partium annuatim, ut etiam accepimus, ascendentes, et quoad dimidium canonicatum, et dimidiam præbendam hujusmodi in eventum præmissum, et non alias; nec antea eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut

antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ, ut præfertur erectæ, ita quod liceat quoque eisdem undecim dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur existat, ecclesiæ etiam, ut præfetur, erectæ canonicis pro tempore ut infra gradatim futuris omnium, et singulorum eorumdem duorum canonicatuum, et præbendarum, ac dimidii canonicatus, et dimidiæ præbendæ, ut præfertur, suppressorum, et suppressarum respective fructuum, redditucm, et proventuum præfatorum, et quoad dimidium canonicatum, et dimidiam præbendam hujusmodi suppressos, postquam illorum vacationis præfatæ casus evenerit per eos, vel alium, seu alios eorum, ac præfatæ mensæ capitularis nomine veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam etiam perpetuo retinere, eosdemque fructus, redditus, et proventus respective percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per dictæ collegiatæ, quæ, ut præfertur, parochialis, ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ suo tempore futuros undecim canonicos præfatos dictorum duorum canonicatuum, totidemque præbendarum, ac dimidii canonicatus, et dimidiæ præbendæ, ut præfertur, respective suppressorum, et suppressarum hujusmodi, si quæ sint respective oneribus in eorum, ac dictæ mensæ capitularis dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ etiam ut præfertur, erectæ respective usus, et utilitatem convertere diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper quoque minime requisita, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo applicamus, et adijcimus.

Regibus Portugalliæ reservantur quinque parochiales ecclesiæ reservatis adnexis pensionibus in rure capituli.

§. 17. Eidemque mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea, ut præfertur, existat ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam tamen infrascriptæ quinque parochiales ecclesiæ ex personis dilectorum similiter filiorum earum respective modernorum rectorum vacare, et infrascriptas pariter pensiones antiquas cessare contigerit, unam videlicet biscentum, et quinquaginta millium regalium hujusmodi super omnibus, et singulis unius scilicet sanctæ Leucadiæ de Cercis nuncupatæ Mirandensis per Nos, ut præfertur, suppressæ ad septies centena millia regalium similium circiter; ac aliam biscentum millium regalium ejusdem monetæ super alius Purificationis beatæ Mariæ virginis de Podense nuncupatæ Brigantiensis ad sex centena millia regalium similium, super quibus pensio annua antiqua quadraginta millium regalium hujusmodi dilecto pariter filio moderno rectori de Izeda nuncupato presbytero illam annuatim percipienti apostolica auctoritate præfata reservata, seu in eum canonice translata reperitur, ut similiter accepimus. Ac aliam octoginta millium regalium monetæ paris super alius sancti Matthæi de Sobreiro nuncupatæ ejusdem Brigantiensis ad quinque centena millium regalium præfatorum. Ac aliam biscentum, et sexaginta millium regalium hujusmodi super alius sancti Petri de Guiras dictæ Brigantiensis ad octo centena millia regalium monetæ paris. Ac reliquum pensiones annuas perpetuas ab omni, et quocumque onere novo, et vetere nunc imposito, et pro tempore quomodolibet imponendo, ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia respective liberas, immunes, et exemptas aliorum biscentum, et sexaginta millium regalium monetæ similis super reliquæ sancti Petri de Cacarelhos nuncupatæ dictæ Mirandensis etiam, ut præfertur, suppressæ respective diœcesum super cujus juris patronatus pertinentia lis, et causa similiter in partibus coram certo, seu certis partium earumdem judice competente, seu judicibus competentibus inter ipsam Mariam Franciscam reginam, et certam aliam, seu certas alias personam ecclesiasticam, vel sæcularem, seu personas ecclesiasticas, vel sæculares, quam, seu quas eisdem præsentibus etiam haberi volumus pro expressa, seu expressis ex una, et altera partibus etiam introducta adhuc, ut pariter accepimus, pendet indecisa respective parochialium ecclesiarum abbatiarum respective nuncupatarum, respective fructibus, redditibus, et proventibus certis, et incertis ad octo centena millia regalium hujusmodi annuatim, ut similiter accepimus, respective ascendentibus super cujus quintodictæ parochialis ecclesiæ fructibus, redditibus, et proventibus præfatis alia pensio annua antiqua certæ summæ, quam Nos eisdem præsentibus etiam haberi volumus pro expresso certæ personæ ecclesiasticæ illam annuatim percipienti dicta apostolica auctoritate reservata, seu in eam canonice translata etiam reperitur, ut pariter accepimus, eidem

mensæ capitulari præfatæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ, illiusque futuris capitulo, et canonicis pro tempore existentibus, vel eorum procuratori legittimo, seu procuratoribus legittimis per ipsarum quinque parochialium ecclesiarum respective modernorum rectorum respective successoribus primo, secundo, tertio, quarto, et quinto dictas parochiales ecclesias pro tempore quomodolibet respective obtinentes annis singulis in civitate Mirandensi in termino, seu terminis inter ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea, ut præfertur, existat, ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ futuros capitulum, et canonicos præfatos, ac dictarum quinque parochialium ecclesiarum modernorum respective rectorum successores supradictos postquam ipsarum quinque parochialium ecclesiarum respective vacationi simul, vel gradatim eventuræ locus factus fuerit statuendo, vel statuendis vigore tamen earumdem præsentium, nec alias, alioquin præsentes reservationes nullæ sint eo ipso integre, et absque ulla etiam minima diminutione, postquam tamen quinque parochiales ecclesiæ præfatæ ex earum respective modernorum rectorum hujusmodi respective personis, ut præfertur, vacaverint, et dictæ pensiones antiquæ super secundo, et quintodictis parochialibus ecclesiis, ut præfertur, reservatæ cessaverint, et non alias, nec antea respective persolvendas apostolica auctoritate præfata; et quoad quintodictam pensionem, ut infra, perpetuo reservandam de consensu præfatæ Mariæ Franciscæ reginæ, quatenus quintodictæ parochialis ecclesiæ juspatronatus hujusmodi declaretur, in posterum ad ipsam Mariam Franciscam reginam, ejusque in dicto regno Portugalliæ successores reges spectare: motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus perpetuo quoque reservamus, constituimus, et assignamus, ac respective easdem quinque pensiones per præsentes sic reservatas eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea, ut præfertur, existat ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ, itidem perpetuo unimus, annectimus, et appropriamus. Decernentes propterea dictarum quinque parochialium præfatarum respective modernorum rectorum hujusmodi respective successores præfatos ad integram solutionem dictarum quinque pensionum per præsentes reservatarum eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat, ecclesiæ, illiusque capitulo, et canonicis pro tempore futuris præfatis respective faciendam juxta reservationis, constitutionis, et assignationis præfatarum tenorem fore efficaciter respective obligatos.

*Statuuntur pœnæ contra non solventes pensiones reservatas.*

§. 18. Ac volentes, et eadem apostolica auctoritate statuentes, quod ille ex successoribus rectoribus præfatis, qui in dictis terminis, vel saltem infra triginta dies illorum singulos tunc immediate sequentes quinque pensiones per præsentes reservatas præfatas per eum eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ, illiusque capitulo, et canonicis pro tempore futuris præfatis tunc respective debitas non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, a qua donec eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ, illiusque capitulo, et canonicis pro tempore futuris præfatis, vel eidem procuratori, seu eisdem procuratoribus de quinque pensionibus per præsentes reservatis hujusmodi tunc respective debitis integre satisfactum, aut alias cum eisdem pro tempore futuris dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur erectæ canonicis, vel cum dicto procuratore, seu dictis procuratoribus super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præter quam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies tunc immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, substinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem respectiva ex quinque parochialibus ecclesiis præfatis perpetuo privatus existat, illaque vacare censeatur eo ipso. Cum autem omnes, et singuli tam præfatorum duorum canonicatuum, et totidem præbendarum, ac dimidii canonicatus, et dimidiæ præbendæ hujusmodi, ut præfertur, repective suppressorum, et suppressarum, quam dictarum quinque pensionum per præsentes reservatarum hujusmodi respective redditus eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea, ut præfertur, existat ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ, sic uniti, applicati, et appropriati summam octodecim centenorum millium regalium dictæ monetæ constituant, et

ex eis dictorum undecim canonicatuum, totidemque præbendarum, ut præfertur, erectorum, et erectarum, nec non præfatæ fabricæ dos, seu fundum respective efformari, et ministrorum ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea, ut præfertur, existat ecclesiæ etiam, ut præfertur, erectæ respective stipendia assignari debeant.

Consulitur ne controversiæ oriantur super distributione facienda inter canonicos, et dignitates.

§. 19. Hinc ne oriatur confusio, et controversia, volentes unicuique ex dictis undecim canonicis pro tempore futuris ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ dos, seu fundum hujusmodi respective constitui possit juxta vota dictæ Mariæ Franciscæ reginæ; ex supradicta summa octodecim centenorum millium regalium hujusmodi eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ etiam, ut præfertur, unita decies centena millia regalium hujusmodi dicta apostolica auctoritate perpetuo separamus, atque detrahimus, dictamque summam decies centenorum millium regalium parium sic separatam, et detractam pro tempore futuris canonico priori, ac duobus canonicis curatis, et reliquis octo canonicis præfatis ad residentiam chori ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ pariter, ut præfertur, adstrictis pro uniuscujusque eorum respective præbenda, seu congrua certa, et incerta, seu distributionibus quotidianis, ut infra, dividendis simili apostolica auctoritate pariter perpetuo addicimus, et assignamus, in modum tamen, ut idem pro tempore futurus ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicus prior videlicet, centum, et viginti mille regales hujusmodi pro sui priorali præbenda, et alios octoginta mille regales pares pro suis distributionibus quotidianis, in totum vero biscentum mille regales dictæ monetæ annuatim habeat præter redditus, et emolumenta parochialia, quæ inter ipsum canonicum priorem, et duos canonicos curatos ejus coadjutores pro tempore futuros præfatos juxta modum, et formam in infrascriptis statutis præscribendos. dividi debebunt. Quilibet vero ex reliquis decem itidem pro tempore futuris ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicis præfatis quadraginta millia regalium similium pro eorum respective præbenda, et alios quadraginta mille regales pares pro eorum respective distributionibus quotidianis annuatim pariter respective habere, et percipere debeant. Cum vero ex totalitate præfatæ summæ octodecim centenorum millium regalium hujusmodi supersint octingenta millium regalium præfatorum, Nos pariter, et illis sexcentum mille regales dictæ monetæ eidem fabricæ præfatæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ, nec non pro illius ministrorum, et famuli respective salariis, seu stipendiis persolvendis, aliisque expensis pro tempore faciendis apostolica auctoritate præfata itidem perpetuo concedimus, et assignamus. Reliquos autem ducentos mille regales monetæ similis in dictorum undecim ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicatuum respective præbendarum etiam, ut præfertur, erectorum, et erectarum hujusmodi augmentum cessuros esse dicta apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus.

Declarantur onera ferenda ab episcopo, a dignitatibus, et canonicis, nec non indulta eisdem concessa.

§. 20. Ac insuper eidem moderno, et pro tempore existenti episcopo Mirandense, et Brigantiense, ut ipse pro dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur erectæ, illiusque chori capituli illorumque rerum, bonorum, ac jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, gubernio, et directione; nec non onerum eisdem undecim ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ futuris canonicis pro tempore incumbentium supportatione divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, aliorumque emolumentorum quorumcumque exactione, repartitione, et perceptione, ac quoad jura parochialia hujusmodi inter ipsos ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ pro tempore futuros canonicum priorem, et duos canonicos curatos facienda divisione, ac pœnarum per absentes, et divinis officiis suis loco, et tempore non interessentes seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum, incursu singulorum præsentiis, et absentiis notandis cæremoniis, et ritibus in dicta collegiata, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesia, ut

præfertur, erecta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus hujusmodi servandis, ac quibusvis aliis rebus in præmissis, et circa præmissa quomodolibet necessariis, et opportunis, de consilio tamen dictæ Mariæ Franciscæ reginæ, quæcumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini præfati minime adversantia per ipsum tamen episcopum Mirandensem, et Brigantiensem nunc, et pro tempore existentem præfatum rite prius examinanda condendi, et edendi, ac edita declarandi, et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, et reformandi, seu alia de novo, et integro eisdem tamen sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini præfati minime adversantia, et ut præfertur, per ipsum modernum, et pro tempore existentem episcopum Mirandensem, et Brigantiensem prius rite examinanda, et per eos, ad quos spectat, et pertinet, et pro tempore spectabit, et pertinebit observanda sub pœnis in contrafacientes statuendis plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem, apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo concedimus, et impartimur.

Indigitatur signum gestandum a canonicis, et dignitatibus.

§. 21. Nec non eisdem futuris undecim præfatæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicis, eorumque in undecim canonicatibus, totidemque præbendis, ut præfertur, erectis præfatis respective successoribus pro tempore existentibus, ut ipsi perpetuis futuris temporibus tam in dicta collegiata, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesia, ut præfertur erecta, illiusque choro, et capitulo præfatis intra missarum, et horarum canonicarum diuturnarum pariter, et nocturnarum, vesperarum, matutinorum, aliorumque divinorum officiorum celebrationem, quam extra eam in processionibus, funeralibus, anniversariis, aliisque omnibus actibus capitularibus, et functionibus publicis, et privatis ubique locorum etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, et generalibus conciliis, ac etiam in præsentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, etiam de latere legatorum, vicelegatorum, ac ejusdem Sedis apostolicæ nunciorum, archiepiscoporum, et episcoporum, et ordinarii etiam proprii, et aliorum quorumcumque, quibuscumque anni temporibus, et diebus, ac alias semper, et ubicumque, ac quomodocumque opus fuerit cottam, seu rocchettum, et super ea, vel eo mozzettam coloris tamen, et qualitatis arbitrio ipsius moderni episcopi Mirandensis, et Brigantiensis designandorum deferre, et gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Jus patronatum canonicatuum regi pro tempore reservatur.

§. 22. Ac præterea eidem Mariæ Franciscæ reginæ pro sua in Deum pietate, ac devotione erga Nos, et Sedem apostolicam præfatam, ejusque in dicto regno Portugalliæ successoribus regibus pro tempore existentibus præfatis jus nominandi ad præfatos undecim ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicatus, totidemque præbendas hujusmodi tam hac prima vice, et a primæva illorum, et illarum erectione præfata vacantes, quam etiam in posterum perpetuis futuris temporibus, quoties illos, et illas de cœtero quibusvis modis, et ex quorumcumque personis etiam Nostris, et Romani pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium etiam tunc viventium familiaribus, et continuis commensalibus, seu Romanæ curiæ officialibus, aut alias qualitates, reservationem, et affectionem inducentes habentibus, seu per literas etiam ex causa permutationis respective resignationes etiam in Nostris, et Romani pontificis pro tempore existentis manibus, vel extra eam quomodolibet respective factas, et admissas, aut assequutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, seu obitum non tamen apud Sedem apostolicam præfatam, vel quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, privationem, religionis ingressum, et professionis in ea emissionem, matrimonii contractum, aut alias quomodocumque, et qualitercumque vacare contigerit in octo anni mensibus Nobis, et dictæ Sedi apostolicæ reservatis, videlicet, januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, et novembris respective mensibus Nobis, et eidem Romano pontifici pro tempore existenti personas idoneas, quæ post habitam respective nominationem hujusmodi ad eosdem undecim ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicatus, et præbendas hujusmodi pro

tempore, ut præfertur, ac etiam pro hac prima vice hujusmodi, et a primæva illorum erectione præfata vacantes, literas apostolicas super respectiva illorum, et illarum provisione sub pœna nullitatis inde habitæ respective possessionis, et fructuum, reddituum, et proventuum, ex illis etiam respective perceptorum restitutionis expedire teneantur. In reliquis vero quatuor scilicet martii, junii, septembris, et decembris respective anni mensibus ordinariis collatoribus competentibus jus similiter nominandi coram ordinario loci personas itidem idoneas ad eosdem undecim dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ canonicatus, et præbendas in eis ad nominationem hujusmodi per eumdem loci ordinarium respective instituendas simili apostolica auctoritate perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus. Nec non jus nominandi hujusmodi regium existere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juris nominandi regij hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione etiam per vias constitutionis legis regulæ cencellariæ apostolicæ, aut alias quodcumque facta nullatenus comprehendi, neque illi ullo unquam tempore, et ex quavis causa derogari posse, neque debere ac collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de dictis undecim canonicatibus, totidemque præbendis, ut præfertur, erectis absque ipsius Mariæ Franciscæ reginæ, ejusque in dicto Portugalliæ regno successorum regum præfatorum consensu, seu nominatione pro tempore factas, processusque desuper habere, et inde sequenda quæcumque nulla, et invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore, et esse, ac pro nullis, et infectis haberi, nec jus, vel coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui posse etiam decernimus.

Declarationes circa redditus ac proventus, mensæ capitulari reservatos.

§. 23. Cum hoc quod sicuti per suppressionem, et extinctionem duorum canonicatuum, totidemque præbendarum hujusmodi, ut præfertur, vacantium ex nunc, ut præfertur, factam eorum, et earum respective fructus, redditus, et proventus præfati eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ etiam ex nunc, ut præfertur, uniti, excepta proportionabiliter summa pro fabrica præfata pro duorum ex dictis undecim canonicatibus, ut præfertur, erectis respective præbendæ constitutione sufficientes esse noscuntur eadem Maria Francisca regina ad nominationem ex nunc canonici prioris, ac unius ex duobus canonicis curatis ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ procedere possit, qui tamen canonicus prior, et alter ex duobus canonicis curatis præfatis sic primo nominandi, donec idem modernus dimidius canonicus parochus vixerit, ac dimidium canonicatum, et dimidiam præbendam obtinuerit, seu de aliquo beneficio ecclesiastico personalem residentiam requirente, vel non requirente etiam ad nominationem præfatæ Mariæ Franciscæ reginæ existente provisus fuerit, non possint, neque debeant in exercitio curæ animarum eorumdem parochianorum dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ se in aliquo ingerere, minusque parochialia emolumenta præfata percipere. Cum hoc etiam quod quatenus eidem Mariæ Franciscæ reginæ ita placuerit, ut ipsi futuri canonicus prior, ejusque coadjutor canonicus curatus sic primo loco, ut præfertur, ab ea nominandi statim habita nominatione hujusmodi, et respective provisione apostolica, et possessione duorum, et duarum ex dictis undecim canonicatibus, totidemque præbendis, ut præfertur, erectis præfatam curam animarum parochianorum dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ exercere incipiant, tunc et eo casu tantum idem modernus dimidius canonicus parochus, dimidium canonicatum, et dimidiam præbendam præfatos per eum, ut præfertur, obtentos, et in eventum præmissum similiter, ut præfertur suppressos in manibus ordinarii loci præfati libere dimittere teneatur, reportata tamen prius, et obtenta a præfata Maria Francisca regina nominatione, seu præsentatione ad aliquod actu tunc vacans beneficium ecclesiasticum suæ pariter nominationis, seu jurispatronatus existens annui redditus, non tamen minoris dimidii canonicatus, et dimidiæ præbendæ præfatorum per eum, ut præfertur, obtentorum, ac in eventum præfatum etiam, ut præfertur, suppressorum, et non alias, ac suspensa remanente nominatione ad alios novem canonicatus, totidemque præbendas ejusdem collegiatæ, quæ etiam parochialis

ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ donec earumdem quinque pensionum favore præfatæ mensæ capitularis in eventum hujusmodi per Nos, ut præfertur, perpetuo reservatarum solutioni simul, vel gradatim locus fiat.

Tollitur omne juris remedium ne præsentes apostolicæ literæ ullo modo convelli possint.

§. 24. Decernentes quoque easdem præsentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legittima etiam ex eo, quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legittima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut qua de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ præfatæ regulas etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem præsentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 25. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuncios præfatos, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executor apostolicus deputatur cum omnibus facultatibus.

§. 26. Quo circa dilecto quoque filio Nostro, et Sedis apostolicæ præfatæ nuncio in civitate Lisbonensi commoranti per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios faciat auctoritate Nostra quinque pensiones per præsentes respective reservatas præfatas eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ, illiusque capitulo, et canonicis pro tempore futuris præfatis, vel eidem procuratori, seu eisdem procuratoribus perpetuo juxta reservationis, constitutionis, et assignationis præfatarum, ac primodicti decreti Nostri hujusmodi continentiam, et tenorem integre respective persolvi. Et nihilominus quemlibet ex dictarum quinque parochialium ecclesiarum modernorum respective rectorum hujusmodi successoribus præfatis, quem hujusmodi excommunicationis

sententiam incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte dictorum capituli, et canonicorum ipsius collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur, erectæ pro tempore futurorum fuerit requisitus, tamdiu dominicis, et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit excommunicatum publice nunciet, et faciat ab aliis nunciari, et excommunicatum ipsum ab omnibus arctius evitari, donec eidem mensæ capitulari dictæ collegiatæ, quæ etiam parochialis, ut antea existat ecclesiæ, ut præfertur erectæ, illiusque capitulo, et canonicis pro tempore futuris præfatis, vel eidem procuratori, seu eisdem procuratoribus de respectiva ex quinque pensionibus per præsentes reservatis præfatis tunc debitis fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab hujusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 27. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ præfatæ regulis de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac de præstando consensu in pensionibus, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Benedicti pp. XIII., etiam prædecessoris Nostri pensiones annuas super parochialium ecclesiarum fructibus reservari prohibentis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si dictarum quinque parochialium respective modernorum rectorum hujusmodi successoribus præfatis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab apostolica Sede præfata sit indultum, quod ad præstationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Præceptum de inscribendis ecclesiæ redditibus in libris cameræ.

§. 28. Volumus autem quod taxa ecclesiæ Mirandensis, ut præfertur, suppressæ, et extinctæ ad septingentos, et septuaginta septem florenos auri cum duobus tertiis alterius floreni similis in libris cameræ apostolicæ, ut similiter accepimus, descripta super ecclesia Brigantiense integraliter transferatur, ita ut ex nunc perpetuo ipsius ecclesiæ Brigantiensis in eisdem libris cameræ apostolicæ ad mille centum, et sexaginta sex florenos pares cum uno tertio alterius floreni similis describi debeat, et re ipsa descripta remaneat: secus vero quod in libris datariæ apostolicæ fructus, redditus, et proventus dictarum quinque parochialium ecclesiarum proportionabiliter, et ad ratam pensionum præfatarum super illis per Nos, ut præfertur, perpetuo reservatarum reduci, et rescribi debeant.

Absolutio reginæ a solutione quindenniorum.

§. 29. Eamdem insuper Mariam Franciscam reginam hoc non obstante a solutione quindenniorum, quæ ratione tam reductionis fructuum, redditnum, et proventuum hujusmodi, quam etiam suppressionis, et extinctionis eorumdem duorum canonicatuum, et præbendarum, et dimidii canonicatus, et dimidiæ præbendæ præfatorum, ut præfertur, factarum constitui deberent, ex specialis dono gratiæ liberando. Præterea etiam volumus, quod in exequutorem earumdem præsentium pro illarum exequutione tantum præfatus Noster, et

dictæ Sedis apostolicæ nuncius in civitate Lisbonensi, ut præfertur, commorans cum facultate quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in hujusmodi exequutione subdelegandi, deputetur, ac per præsentes deputatus sit.

Sanctio poenalis.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suppressionis, extinctionis, adjunctionis, incorporationis, suppositionis, subjectionis, unionis, applicationis, litis, et causæ avocationis, et respective extinctionis, approbationis, confirmationis, defectuum suppletionis, sanationis, novæ translationis, concessionis, indulti, erectionis, institutionis, posterioris suppressionis, et extinctionis, appropriationis, addictionis, ac reservationis dictarum quinque pensionum annuarum, illarumque posterioris unionis, ac separationis, detractionis assignationum, statuti, facultatis, impartitionis, posteriorum concessionis, et indulti reservationis, et assignationis, juris nominandi hujusmodi, ac decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo, quinto kalendas octobris, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 27 septembris 1780 Anno VI.

## CCLXXXIV.

Coadiutoria metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis favore Maximiliani archiducis Austriæ, in qua de privilegiis disseritur ipsius regiæ domus Austriæ.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Dilectissimo in Christo filio Nostro Maximiliano ex archiducibus Austriæ electo archiepiscopo Coloniensi salutem et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Romanus pontifex potestatis plenitudine a cœlesti Dominici gregis pastore apprime instructus, de statu ecclesiarum omnium excogitans, non modo illis, quæ proprio viduatæ sunt pastore alios præficere debet idoneos, sed quibus ob præsidentium senio confectorum vel infirmitatibus laborantium detrimentum aliquod pati compertum foret, aliasque sibi notas causas etiam per coadjutores deputationem earum regimini, et administrationi juxta datam sibi a Domino intelligentiam consulere, personasque ex illustriori progenie seligere studet.

De præstantia ordinis episcopalis.

§. 2. Ea enim est episcopalis ordinis celsitudo, et dignitas, ut divinæ prorsus bonitatis beneficio sit referendum, ut quis ad illum evocetur, sique ex catholicis privilegiis, quibus simile impertitum fuit donum, illud effuso animo, ut par erat, exceperunt. Ad eorum autem fovenda vota atque ecclesiæ spiritualibus, et temporalibus feliciter regantur, Nos prædecessorum Nostrorum morem servantes principes viros in ecclesiasticum cœtum jam adscitos ad insignia Ecclesiæ munera, et episcopalis ordinis dignitatem evehere, non ambigimus, atque in Domino lætamur, quia Nobis datum est novum ecclesiastico ordini addere decus et ornamentum.

Ratio constitutionis

§. 3. Sane cupientes venerabili fratri nostro Maximiliano Friderico ex comitibus de Konigsegg Rothenfls archiepiscopo metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis, et electori, non modo ob gravem illius ætatem, sed etiam ob plures gravissimasque causas catholicæ fidei bono, et Ecclesiæ utilitati conjunctas de coadjutore in regimine, et administratione ecclesiæ Coloniensis, cui dictus Maximilianus Fridericus archiepiscopus, et elector ex concessione, et dispensatione apostolicis ad præsens præest cum futura in illa successione, attentis ejus Nobis humiliter porrectis precibus benigne providere, te ex augustis genitoribus legitime natum, ordinis militaris et hospitalis beatæ Mariæ virginis Theutonicorum nuncupatorum magnum magistrum, qui vigore literarum apostolicarum in forma Brevis super tui eligibilitate ad ecclesiam eamdem a Nobis concessarum a dilectis filiis capitulo, et canonicis metropolitanæ ecclesiæ Coloniensis ad quos occurrente illius vacatione electio personæ idoneæ ipsi ecclesiæ Coloniensi, in archiepiscopum per Romanum pontificem pro tempore existentem ad electionem hujusmodi præficiendæ juxta concordata dudum inter Sedem apostolicam ex una, et inclytam nationem Germanicam ex altera

partibus inita, sive privilegia, et indulta spectare dignoscitur unanimi consensu electus fuisti.

Dispensationes singulares, et extraordinariæ

§. 4. Quamvis vigesimum quartum ætatis tuæ annum agas, et in minoribus tantum ordinibus constitutus sis, nec doctoratus gradum hactenus susceperis, nihilominus catholicæ religionis zelo, pietate, morum probitate, et in pauperes charitate præditum, aliisque regii animi dotibus ornatum te esse, studiisque canonici juris incubuisse comperimus, firma spe, fiduciaque conceptis, quod divini numinis auxilio tu ecclesiæ Coloniensi, illiusque spirituali, et temporali regimini plurimum prodesse poteris. Electionem propterea de tui persona, ut præfertur, factam cui tu illius tibi præsentato decreto assensum præbuisti, apostolica, auctoritate Nostra confirmantes, et approbantes, ac defectus omnes, et quoscumque etiam substantiales, siqui in ipsa electione quomodolibet intervenerint, authoritate Nostra supplentes, ac te quem Nos hodie eidem Maximiliano Friderico archiepiscopo, et electori, atque Monasteriensis ecclesiæ administratori in coadjutorem perpetuum, et irrevocabilem in regimine, et administratione ipsius ecclesiæ Monasteriensis cum futura in illa successione, et simili concessione in administratorem per alias Nostras literas constituimus, et deputavimus a quibusvis ecclesiasticis censuris, et pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, eidem Maximiliano Friderico archiepiscopo, et electori quoad vixerit, et dictæ ecclesiæ Coloniensi præfuerit in coadjutorem perpetuum, et irrevocabilem in regimine, et administratione ejusdem ecclesiæ Coloniensis cum futura in illa successione in spiritualibus, et temporalibus cum plena, libera, et omnimoda facultate, potestate, et auctoritate omnia, et singula quæ ad hujusmodi coadjutoris officium de jure, uso, stylo, consuetudine, aut alias quomodolibet spectant, et postquam ad sacrum presbyteratus ordinem promotus fueris, et munus consecrationis susceperis pontificalia officia in civitate, et diœcesi Coloniensi exercendi ipsius Maximiliani Friderici archiepiscopi, et electoris ad hoc accedente consensu.

Prohibitio de non invadenda jurisdictione coadjuti vita durante.

§. 5. Ita tamen, ut coadiutoris officio hujusmodi durante, tu in administratione spiritualium, et temporalium dictæ ecclesiæ Coloniensis, illiusque mensæ archiepiscopalis bonorum, ac fructuum, redditum, et proventuum, et emolumentorum quorumcumque te ingerere nequeas de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio ipsarum præsentium vigore apostolica auctoritate constituimus, et deputavimus, nec non cedente, vel decedente præfato Maximiliano Friderico archiepiscopo, et electore, seu dictæ ecclesiæ Coloniensis quomodolibet præesse desinente, illaque quovis modo etiam apud sedem apostolicam etiamsi tempore vacationis hujusmodi tu coadjutoris officium hujusmodi exercere non inceperis, aut per te steterit quominus illud exercueris vacante ex nunc prout ex tunc, et e contra eidem ecclesiæ Coloniensi de persona tua, auctoritate Nostra prædicta de simili consilio providemus.

§. 6. Teque qui fidem catholicam juxta articulos jampridem a Sede apostolica præpositos in manibus venerabilis etiam fratris Nostri Josephi Garampi archiepiscopi, atque ecclesiarum Montis Falisci, et Corneti episcopi, Nostrique, et apostolicæ Sedis nuntij Viennæ commorantis expresse professus fuisti eidem metropolitanæ ecclesiæ Coloniensi in archiepiscopum præficimus, et pastorem ex nunc, prout ex tunc de tui persona eidem ecclesiæ Coloniensi provisum, teque ipsi ecclesiæ Coloniensi in archiepiscopum, et pastorem præfectum fore decernimus, curam, regimen, et administrationem ipsius ecclesiæ Coloniensis tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias, et largitur præmia confidentes quod dirigente Domino actus tuos prædicta ecclesia Coloniensis sub tuo felici regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam, et administrationem præfatas sic exercere studeas sollicite, fideliter, et prudenter quod ecclesia ipsa Coloniensis gubernatori provido, ac fructuoso administratori gaudeat se commissam; tuque præter æternæ retributionis præmium Nostram, et apostolicæ Sedis benedictionem, et gratiam exinde uberes consequi merearis.

Præceptum de emittenda professione fidei catholicæ.

§. 7. Propterea venerabilibus fratribus Nostris episcopis suffraganeis, ac iisdem capitulo et canonicis, nec non dilectis pariter filiis vassallis dictæ ecclesiæ Coloniensis, ac clero, et populo

Mandatum pro recognitione electi, omnibus superioribus, et vassallis directum.

civitatis, et diœcesis Coloniensis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri, et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas, et devotas, ita quod mutua in te, et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et Nos eorum devotionem possimus merito commendare, ac clerus te pro Nostra, et ejusdem Sedis reverentia benigne recipiens, et honorifice pertractans tua salubria monita humiliter suscipiat, et efficaciter adimplere procuret. Populi vero te patrem pariter, et pastorem animarum suarum devote suscipientes, et honorifice prosequentes tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te econverso patrem benevolum invenisse gaudeant. Vassalli vero prædicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem debitam, et consueta servitia, ac jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Hortatio ad imperatorem ut electi, et ecclesiæ jura auctoritate sua tueatur.

§. 8. Rogamus quoque, et hortamur attencte charissimum in Christo filium Nostrum Josephum Romanorum regem in imperatorem electum quatenus te, et præfatam ecclesiam Coloniensem tuæ curæ commissam habens pro Nostra et Sedis apostolicæ reverentia propensius commendatos in conservandis et ampliandis juribus universis. Sic vos benigni sui favoris auxilio prosequatur, quod tu ejus suffultus præsidio in commisso tibi curæ pastoralis officio possis Deo propitio prosperari, ac eidem Josepho regi in imperatorem electo perennis vitæ præmium, et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Aliæ peculiares concessiones.

§. 9 Nos enim tecum super ætatis et gradus doctoratus defectu, et super eo quod modo in minoribus tantum ordinibus constitutus existas juxta decretum a Nobis editum pari auctoritate harum serie de specialis dono gratiæ dispensamus, ac insuper ad ea, quæ ad tuæ commoditatis incrementum cedere possunt favorabiliter intendentes, tibi, ut statui tuo juxta sublimem tui conditionem decentius consulere valeas, quod tam coadjutoris officio hujusmodi durante, quam eo cessante, et successioni prædictæ loco facto magnum magistratum dicti militaris et hospitalis ordinis beatæ Mar. Virg. Theutonicorum nuncupatorum. Coadiutoris vero officio hujusmodi durante tantum unum et alterum canonicatus, et præbendas ecclesiarum Coloniensis, et Monasteriensis quos et quas ex concessione, et dispensatione apostolicis, ut accepimus, obtines retinere libere et licite possis, et valeas constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et dicti ordinis, ac prædictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus nequaquam obstantibus apostolica authoritate dispensamus, proviso quod interim magnus magistratus ac canonicatus, et præbendæ prædicti debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Declarationes, et prohibitiones speciales.

§. 10. Volumus autem quod iidem canonicatus, et præbendæ officio coadjutoris hujusmodi cessante, et successioni præfatæ loco facto vacent eo ipso. Verum antequam officium coadjutoris hujusmodi exercere incipias, seu si successioni hujusmodi loco facto in regimine, et administratione dictæ ecclesiæ Coloniensis te in aliquo immisceas, in manibus ejusdem Josephi archiepiscopi, et nuntii, vel venerabilis pariter fratris Nostri Caroli Bellisomi archiepiscopi Tyanensis Nostri, Sedisque apostolicæ ad tractum Rheni nuntij Nostro, et Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum emittas juramentum juxta formam inferius expressam, et infertam præstare tenearis, ac juramenti hujusmodi a te tunc præstiti formam Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuntium quanto citius destinare procures; atque uni vel alteri nuntio, quem elegeris similiter mandamus, ut ipse a te Nostro, et Romanæ Ecclesiæ nomine juramentum hujusmodi recipiat. Ac præterea tibi ut ab uno vel altero nuntio accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis episcopis vel archiepiscopis gratiam, et communionem apostolicæ Sedis habentibus infra præscriptum tempus munus prædictum, servata in omnibus forma ab apostolica Sede præscripta tibi impendere libere, et licite possit, et valeat plenam concedimus facultatem.

Interdictio de non alienandis ecclesiæ bonis, et præceptum de resignandis præbendis cessato coadiutoris munere

§. 11. Volumus autem quod tu coadjutoris officio hujusmodi durante ab alienatione qualibet quorumcumque bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium ecclesiæ Colonie sis, illiusque

archiepiscopalis mensæ te penitus abstineas, et de iis quæ gesseris, et administraveris ratione coadjutoris officii hujusmodi non solum in districto examine, sed etiam eidem Maximiliano Friderico archiepiscopo, et electori juxta constitutionem fel. rec. Urbani pp. VIII. prædecessoris Nostri quæ incipit = *Pastoralis* = plenariam rationem reddere tenearis. Volumus præterea quod successioni prædictæ loco facto præbendas theologalem, et pœnitentiariam ad præscriptum concilij Tridentini in metropolitana ecclesia Coloniensi instituas, montemque Pietatis in civitate Coloniensi erigi cures conscientiam tuam super his onerantes. Forma autem juramenti quod præstabis hæc est = Ego Maximilianus ex archiducibus Austriæ coadjutor datas etc. ab hac ora in antea fidelis etc. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo, quinto kalendas octobris pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 28. septembris 1780 Anno VI.

## CCLXXXV.

**Confirmatur reductio numeri consiliariorum communitatis Corinaldi Senogalliensis diœcesis, nonnullis expressis conditionibus.**

### Pius PP. VI.

### Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Decori simul, ac tranquillitati civitatum, et locorum, quæ etiam quoad temporalia Nobis, et apostolicæ sanctæ Sedi subdita sunt, æterna charitate consulere cupientes, in id pastoralis officii Nostri partes interponere non omittimus, sicuti omnibus mature perpensis in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum a communitate porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii præsides, ac consiliarii communitatis Corinaldi Senogalliensis diœcesis, quod cum alias Nobis supplicari fecerint, ut tum ad conservandum ejusdem consilii splendorem, tum etiam aliis de causis tunc expressis, præscriptum numerum quadraginta octo consiliariorum ad numerum triginta sex tantum auctoritate Nostra apostolica redigere dignaremur; Nos eorum votis annuentes numerum consiliariorum prædictum ad triginta sex redigimus, ita tamen, ut hujusmodi reductio fieri deberet in respectivis renovationibus vulgo *del bussolo* gradatim, et dum moderni consiliarii sine prole defecissent, ac cum numerus prædictorum consiliariorum ad triginta sex, ut præfertur, erit redactus, tum quartus gradus, quo in præsens vulgo *il bussolo* componitur, sit suppressus, ac magistratus deinceps tribus dumtaxat personis de more in quolibet bimestre, hoc est confalonerio, ac duobus prioribus extrahendis efformetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi quo hujusmodi concessio semper, et quandocumque firmius subsistat, ac exactius servetur apostolicæ confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictam consiliariorum communitatis prædictæ Corinaldi reductionem ad numerum triginta sex cum omnibus conditionibus, et formis supra expressis auctoritate Nostra apostolica confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac semper quandocumque servari volumus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis,

nec non dictæ communitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava septembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCLXXXVI.

Dat. die 3. octobris 1780. Anno VI.

Declaratio super dubiis in alio Brevi a ssmo alias expedito irreptis pro monasterio, seu conservatorio Piarum Operariarum civitatis Asculanæ.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Decet Romano pontifici justitiæ simul, et pacis assertori ad antevertendas lites, et controversias, quibus literarum apostolicarum executionem ex improvidis aliquorum quærimoniis, et criminationibus morari facile posse conspicit, apostolicæ suæ auctoritatis providentia, quæ sunt dubia, declarare, quæ vero justa, ac æqua confirmare, ut sic omni cunctatione remota, eædem apostolicæ literæ, et convenientia reverentia recipiantur, et debitæ executioni demandentur, nullique in posterum fas sit illas adversari.

Memorantur ea quæ fuerunt disposita in alio Brevi.

§. 2. Sane Nos nuper ea paterna charitate, qua erga dilectas in Christo filias pias operarias, seu oblatas sub invocatione beatæ Mariæ virginis Immaculatæ, in civitate Nostra Asculi in Piceno existentes afficimur, excitati: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine separatis, ac dismembratis septuaginta tribus LL. MM. cum quinquaginta centesimis s. Petri VI ab hæreditate bonæ memoriæ Jacobi de Comitibus civis Asculani, quæ in universum in pia legata erat eroganda in earumdem piarum operariarum congregationem, seu monasterium dicta LL. MM. cum dictis centesimis transtulimus, ac perpetuo illi assignavimus, univimus, et incorporavimus; ac volentes ne dicta hæreditas de Comitibus, seu illius administratores præter vires ipsius patrimonii ob factam hujusmodi locorum montium separationem, ac dismembrationem gravarentur, suppressa, ac omnino extincta cathedra rhetoricæ juxta dicti Jacobi testamentariam dispositionem alias erecta ab onere tum solvendi annua scuta sexaginta in stipendium professoris dictæ cathedræ, tum collocandi, seu erogandi in emptionem unius LL. MM. annua scuta centum secundum dicti testatoris voluntatem, tum demum annuæ vitalitiæ præstationis scutorum sexagintorum dilectæ in Christo filiæ Franciscæ de Comitibus vigore indulti ei a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro alias concessi debitæ, eamdem hæreditatem, seu dictos illius administratores, motu, scientia, ac autoritate prædictis eximimus, ac liberavimus injuncta tamen dictæ congregationi, seu monasterio obligatione dictam annuam vitalitiam præstationem scutorum sexagintorum memoratæ Franciscæ de Comitibus, quoad vixerit, solvendi, prout in Nostris literis hisce desuper in simili forma Brevis die xix. augusti mox præteriti expeditis, uberius continetur.

§. 3. Verum cum ad audientiam Nostram nuper pervenerit in eadem Nostra civitate Asculana a nonnullis adversus easdem Nostras literas fuisse datas turbas, ac etiam de obreptionis, et subreptionis vitio fuisse accusatas ex eo vel maxime, quod alias felicis recordationis Clemens pp. XIV. prædecessor Noster per rescriptum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum die xiv. julii anni MDCCLXX. signatum inter coetera dictam annuam præstationem eidem Franciscæ, ut præfertur, debitam, eveniente illius obitu conservatorio Orphanarum, et Periclitantium ejusdem civitatis Asculanæ assignaverat, et applicaverat, quodque Nos alias per rescriptum dilecti filii Nostri cardinalis Giraud pro-auditoris Nostri die xxi. no- Dubia exorta super interpretatione literarum apostolicarum.

vembris MDCCLXXVIII. signatum eisdem executoribus testamentariis, seu administratoribus potestatem fecimus inter cætera annuum stipendium professori rhetoricæ solvendum in reintegrationem scutorum mille, quæ pro subsidio dotali Magdalenæ de Comitibus fuerunt ab eodem Benedicto prædecessore a dicta hæreditate dismembrata sub certis tamen conditionibus, et de quibus ad libitum disponere, derogatis illis conditionibus a memorato Clemente eidem Magdalenæ fuit concessum, erogandi.

Declaratio dubiorum.

§. 4. Nos itaque, ut circa rectam earum literarum Nostrarum intelligentiam omnis removeatur dubietas, et ad tollendum in præmissis cujuscumque ambiguitatis sensum prospicere volentes memoratas Nostras literas in simili forma Brevis die xix. mox præteriti augusti expeditas, ac omnia in eis contenta, et quomodolibet concessa motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus harum serie confirmamus, et approbamus, ac innovamus, et quatenus opus sit de novo concedimus, et indulgemus, illisque in omnibus, et per omnia perpetuum, et inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Declaramus insuper, quod licet alias, ut præfertur, memoratus Clemens prædecessor Noster per suum rescriptum memoratam annuam præstationem scutorum sexagintorum Franciscæ de Comitibus debitam post illius obitum dicto conservatorio Orphanarum, et Periclitantium Asculi concesserit; quoniam tamen Nobis constat alias in congregationem concili Tiridentini super validitate hujusmet rescripti inter prædictos executores testamentarios ex una, et ejusdem conservatorii defensores ex altera fuisse acerrimam litem contestatam, ac subinde ob nullam captam ab eadem congregatione resolutionem litigantes hinc inde ulterioris litis prosecutionis expensis pepercisse, proptereaque dictam Clementinam gratiam veluti imperfectam remansisse, et adhuc remanere, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, eamdem vitalitiam præstationem, quoties Franciscæ de Comitibus obitus occurrat, monasterio, seu conservatorio Piarum Operariarum prædicto univimus, ac expresse derogando prædicto rescripto Clementino in ea parte, quæ præstationem Franciscæ de Comitibus respicit, illudque tollendo, et abrogando, denuo quatenus opus sit modo, et forma in eisdem Nostris literis expressis incorporamus, ac adiicimus. Demum quum memoratis Nostris literis, cathedram rhetoricæ perpetuo extinximus, ac suppressimus; propterea per præsentes decernimus, ac statuimus, quod licet Nos alias per Nostrum rescriptum diei xxi. novembris MDCCLXXVIII. dictis administratoribus, seu executoribus testamentariis stipendium professori cathedræ rhetoricæ ex lege testatoris debitum in reintegrationem scutorum mille, ut præfertur, ab hæreditate de Comitibus dismembratorum erogare concesserimus; nihilominus cum alias a memorato Clemente prædecessore Nostro hanc reintegrationem ex centum annuis scutis a testatore assignatis in ornatum altarium, ac cappellarum fieri per suum rescriptum die iii. augusti anni MDCCLXXII. fuerit constitutum, Nos Nostram prædictam concessionem revocantes, ac memoratum rescriptum Clementinum innovantes dicti stipendii memorato monasterio, seu conservatorio Piarum Operariarum unio, ac incorporatio modo, et forma in dictis Nostris literis expressis perpetuo firma, ac inviolabilis maneat; injungentes dictis administratoribus onus reintegrandi memoratam summam scutorum mille ex dictis annuis scutis centum in ornatum altarium, et cappellarum assignatis juxta formam in memorato Clementino rescripto expressam.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus chirographis, rescriptis, sententiis, mandatis, ac resolutionibus cujuscumque congregationis, et tribunalis, tam in urbe, quam extra urbem, ac omnibus, et singulis, illis, quæ in dictis Nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris anno millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 3. octobris 1780 Anno VI.

## CCLXXXVII.

Declaratio chirographi lati ad diem 26 februarii 1777 super solutione taxæ pro viis consularibus.

Monsignor Gio: Battista Bussi de Pretis chierico della Nostra camera, e presidente delle strade.

Expositio precum porrectarum a præside viarum.

§. 1. Ci è stato rappresentato per parte del tribunale delle Strade, anche a nome dei possessori, che attualmente contribuiscono al mantenimento delle strade consolari del distretto, che in vigore non meno della disposizione di ragione comune, che di varie costituzioni apostoliche, ed in specie di quella del Nostro predecessore Innocenzo XI. di fel. mem. li 22 giugno 1680, molti possessori pagavano, e pagano la tassa fissa stabilita fin dal detto anno 1680 sopra le vigne, ville, e orti nell' agro Romano a quatrini 14 per ogni pezza, e dipoi nel 1730 accresciuta a quatrini 28, e sopra le tenute in detto agro Romano a quatrini 6 per pezza, o sia bajocchi 8 per rubbio, e sopra le osterie, poste, porti, laghi, e stagni, ed altri opificj, edificj, e fondi esistenti in detto agro Romano, e respettivamente nelle cinque province adjacenti alla nostra città di Roma in somma distinta, e discreta, proporzionata al frutto, e rendita, e che altri molti possessori di simili fondi andavano indebitamente esenti, perchè non denunciati, o non ricercati, o perchè tali fondi posteriormente costruiti; e quantunque per riparare a tal pregiudiziale assurdo, e disordine, che ha posto in sbilancio e necessità la cassa delle tasse di dette strade oberata di debiti, Noi dopo serie informazioni, e riflessioni ci determinassimo con Nostro special chirografo firmato li 26 febraro 1777 di ordinare, che tutti indistintamente, senza eccettuazione di alcuno benchè privilegiato, debbano pagare detta tassa fissa, con avergli condonato le tasse decorse per tutto il tempo precedente a detto Nostro chirografo, deputando voi giudice privativo *quoad omnes*, togliendo ad altri giudici le facoltà d' inibire, ed impedire il pagamento di dette tasse; contuttociò buona parte delli possessori hanno ricusato, e ricusano pagare adducendo differenti motivi, e pretesti insussistenti, atti solamente a coltivar liti, pretendendo sino taluni di non dover pagare col motivo di non esser soliti a pagare, ed altri col motivo, che li loro fondi non sono espressamente nominati in detto chirografo, o non sono sulle strade consolari, e con altri motivi del tutto insussistenti, e venendo forzati per via giudiziaria procurano impedire il pagamento con introdurre le cause per via di appellazione in piena camera, dove già trovansi introdotte quelle ad istanza dei possessori di Viterbo, Amelia, Tivoli, e quella di Gasperoni, ed altri, o procurano farle avocare, e riassumere in altri tribunali, trovandosene già alcune introdotte nei tribunali del tesoriere, maggiordomo, e rev. fabbrica di san Pietro ad istanza del capitan Maruffi, tenente Giustiniani, Niccola Alessandri; e a voler sostenere ognuna di tali, ed altre cause da muoversi, le spese eccederebbero le tasse, che perloppiù sono di tenui somme.

Tenor declarationis edicta lis legis procedentis, cum avocatione litium super illius interpretatione subortarum.

§. 2. E siccome è urgente la necessità di speditamente esiggere dette tasse, ci hanno supplicato per l' opportuno riparo, e a compiacerci di dichiarare più espressamente detto Nostro chirografo, e togliere alli renitenti ogni motivo di ritardare il pagamento con liti dispendiose, e sopra tali tasse deputar giudice privativo voi, e vostri successori presidenti delle strade: perciò Noi ben informati della verità dell' esposto, seguendo la giustizia distributiva, ed in vista anche della necessità della cassa delle tasse, che per tal disordine trovasi oberata di rilevanti debiti, col presente Nostro chirografo, in cui abbiamo per espresso, e registrato il tenore delli chirografi, costituzioni, ed altre disposizioni fatte da Noi, e Nostri predecessori sopra il pagamento della tassa delle strade consolari, di Nostro moto-proprio, certa scienza, e colla Nostra suprema autorità dichiariamo, che siano soggette al pagamento di detta tassa fissa per il mantenimento, e risarcimento delle strade consolari, e pagamento de' debiti contratti per la manutenzione di dette strade tutte le ville, vigne, orti, tenute, ed altri terreni esistenti nell'agro, e territorio Romano, e per tutta l' estensione del medesimo, in qualunque sito, e luogo di esso, anche ne' luoghi chiamati giurisdizionali, che non hanno però comunità, la quale paghi la tassa fissa, come Ostia, Porto, e simili; parimente tutte le osterie, bettole, alberghi, poste, porti, laghi, stagni, e pesche, cave di travertini, ed altri materiali,

fabbriche di carta, ferro, tabacco, calce, mattoni, piatti, e simili, di cera, acquavite, ed altri edificj, opificj, e fondi lucrosi, e lucrose industrie di qualsivoglia specie, e genere, tanto solite tassarsi anticamente, e comprese nelle antiche tasse particolari usate prima dell' imposizione della tassa fissa, quanto che per identità di ragione devono tassarsi, esistenti in qualunque sito e parte dell' agro Romano, e respettivamente nelle circonvicine province di Marittima, e Campagna compreso Velletri, del Lazio compreso castel Gandolfo, Sabina, Umbria incluso il ducato di Spoleto, ed altri, e del Patrimonio compreso lo stato di Castro, Ronciglione, Viterbo, niuno affatto eccettuato, non ostante qualunque privilegio, ed esenzione, etiam ex titolo oneroso, non ostante qualunque lasso di tempo, anche immemorabile, non ostante qualunque contrario decreto, e giudicato, anche della Nostra camera, e non ostante il pretesto di mantener le strade avanti i proprj beni, e fondi, di non far uso delle strade consolari, di non esser solito a pagare, di spacciare nell' osterie il vino proprio, e qualunque altro motivo, e pretesto, a quali cose tutte deroghiamo, ed in caso di dubbio, e di qualunque controversia s' intendano, e siano sottoposti alla tassa fissa nella quantità e somma da voi stabilita, o da stabilirsi, li generi, e specie di edificj, ed opificj, e fondi lucrosi, ed industriosi, che dichiararete soggetti alla medesima voi, e vostri successori presidente delle strade, dandovi le facoltà speciali di riassumere, ed avocare a Nostro nome, conforme Noi avochiamo dalla piena camera, e dalli nominati, ed altri tribunali, ed altri giudici tutti, ed anche dal tribunale del s. Offizio, tutte, e singole cause attive e passive in essi, ed altri quantunque maggiori tribunali introdotte, e da introdursi, ed esse cause mosse, e da muoversi conoscere, e decidere sola *facti veritate inspecta* sommariamente in ogni giorno feriato, e non feriato, senza servar termini sostanziali e solenni; e che alla decisione, e risoluzione vostra, e del vostro uditore debba ognuno acquietarsi, proibendo dalli decreti, e risoluzioni vostre, e del vostro uditore ogni ricorso ed appellazione, e che sul proposito della presente tassa dobbiate voi essere totalmente indipendente, non solamente dal decano della rev. camera apostolica, ma dalla stessa camera piena, e da ogni altro giudice, e tribunale anche superiore, e maggiore, ordinando che nè li nominati, nè altri giudici possino interloquire, giudicare, o esercitare giurisdizione di sorta alcuna, tanto circa li meriti delle cause, quanto sopra l' appellazione, o ricorsi, o qualunque altro incidente, togliendo fin da adesso l' autorità, e giurisdizione ad ogni altro giudice, e dichiarando adesso nullo qualunque decreto potesse esser stato fatto, o potesse farsi da essi sopra le cause della presente tassa, e volendo che possino impunemente sprezzarsi qualunque citazione, inibizione, patente di qualsivoglia altro giudice, tribunale, o persona, anche di grado eminentissima, degni di specialissima menzione.

§. 3. Essendo così mente, e volontà Nostra, che niuno sia esente, e che non sia da alcuno ritardato il pagamento di dette tasse, perchè ritardandosi tal pagamento, si ritarda per conseguenza il lavoro delle strade, dichiarando compresi, e soggetti alla detta tassa, ed alla presente legge, ed ordinazione tutti e singoli possessori, affittuarj, o esercenti di qualunque grado, stato, e preeminenza nominati nel Nostro precedente chirografo, sino la rev. camera apostolica, e palazzo apostolico, s. offizio, rev. fabbrica di s. Pietro, reverendissimi cardinali, ed ogni altro luogo pio, e persona, di cui dovesse farsene particolar menzione in conformità del chirografo della fel. mem. d' Innocenzo XI. li 22 giugno 1680, e di altri chirografi, motuproprj, Bolle, e costituzioni indicate in detto Nostro chirografo, a quali si abbia respettivamente espressa relazione in quelle parti, che concordano col presente Nostro chirografo; volendo e decretando, che al presente Nostro chirografo non possa mai opporsi vizio alcuno di surrezione, orrezione, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè altro vizio, o difetto quantunque sostanziale, e formale, e che il medesimo abbia il suo pieno vigore, effetto ed esecuzione colla Nostra sola sottoscrizione, senza che sia ammesso, e registrato in camera, e ne' libri della medesima, secondo dispone la Bolla di Pio IV. de registrandis, benchè non sieno stati sentiti li possessori, ed interessati suddetti; e chiunque avesse, o potesse avere interesse, non ostante le regole della Nostra cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e qualsisiano altre ordinazioni, e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Clausulæ salutares, et irritantes.

Nostri predecessori, usi, stili, leggi, decreti, statuti, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse in contrario; alle quali tutte, e singole, avendone il pieno tenore qui per espresso di parola in parola per questa volta sola, ed all'effetto suddetto, di Nostro moto proprio, e Nostra podestà espressamente deroghiamo, non solo in questo, ma in ogni altro miglior modo. Dato dal Nostro palazzo apostolico nel Quirinale li 3 ottobre 1780.

---

Dat. die 11. octobris 1780 Ann. VI.

## CCLXXXVIII.

Erectio conservatorii puellarum in civitate, et diœcesi Castelli, illiusque unio nosocomio infirmorum, et expositorum ejusdem civitatis.

### Pius PP. VI.

Motu proprio etc.

Proemium

Frà li varj oggetti, che tendono ad accrescere, o almeno ad assicurare maggiormente la publica felicità, ed il publico bene, ed a quali, innalzati appena dalla divina providenza al pontificio soglio, dirigemmo li Nostri pensieri, le Nostre mire, ed i desiderj Nostri, debbono senza meno, e pria d'ogn' altro annoverarsi quelli della buona educazione della gioventù dell' uno, e dell' altro sesso nella cristiana pietà, e nelle adattate occupazioni, prestando sollievo, e provvedimento a quelle povere fanciulle, le quali, o prive già di genitori, o oppresse dalla povertà, mancan di mezzi per esser ben istruite, e proporzionatamente occupate; ond' è, che ad ogni opportuna occasione, che ci si è presentata, non abbiam punto tralasciato d' interessarci vivamente, per quanto ci è stato possibile, per ottenere l' uno, e l' altro fine non meno in questa Nostra dominante, che in altre città, e luoghi del Nostro stato. E quindi essendoci abbastanza noto, che la Nostra città di Castello abbonda di poveri, ed è all' opposto molto scarsa di quei mezzi, che sono più confacenti al bisogno, abbiam creduto, che essa tanto più meritar debba le paterne Nostre cure, ed il sovrano Nostro ajuto, quanto che dalle providenze de' Nostri predecessori non rimane bastantemente sollevata, e proveduta. Non ignoravamo in fatti, che Clemente XIV. Nostro immediato predecessore informato dello stato di precisa decadenza, a cui erasi ridotto quell' antico spedale degli esposti sotto il titolo di s. Maria della Misericordia, per mancanza di rendite, e per li molti debiti, de' quali era gravato, con suo Breve de' 21 marzo 1772 deputò monsignor Luigi Gazzoli allora governatore della stessa Città di Castello in commissario apostolico, e visitatore del medesimo spedale con amplissime facoltà, anche d' imporre a favore di esso tasse, e prestazioni tanto annue, che per una sol volta a qualisisiano comunità, e luoghi pii della medesima città, e sua diocesi, e di sopprimere altresì i meno utili, ed a quello unirli. E con altro suo Breve de' 14 giugno del seguente anno 1773. ordinò allo stesso monsignor Gazzoli di venire alla formale unione dello stesso spedale all' altro degl' infermi esistente parimenti nella medesima città sotto il titolo di s. Florido, ed incorporarne insieme tutti i loro rispettivi beni sì stabili, che mobili. In seguito delle quali facoltà lo stesso monsignor commissario con varj suoi decreti impose ad alcuni de' suddetti luoghi pii tasse annuali, e perpetue, e ad altri per una sol volta; unì vicendevolmente li detti due spedali con tutti i loro beni; soppresse, e similmente unì ai medesimi varie confraternite, legati, ed opere pie; e per ultimo prescrisse providamente diverse leggi per il buon regolamento sì spirituale, che economico di ambedue li detti spedali uniti, meritando in fine, che tutto il di lui operato venisse con special rescritto emanato dal detto Nostro immediato predecessore sotto il dì 5. aprile 1774 pienamente approvato, e confermato. Dopo di che, avendoci egli, a precisa Nostra richiesta, fatta una piena, ed esatta relazione dello stato attuale de' medesimi spedali uniti, dalla quale risultava, che, mercè le dette precedenti disposizioni, erasi di già proveduto alla buona educazione di quegli esposti, alla mancanza delle rendite, ed alla dimissione de' debiti: che inoltre colla introduzione, già seguita nello stesso spedale, delle arti, e massime di ben filare, e tessere in varie maniere li cottoni (quali nelle diverse loro qualità Noi stessi con Nostra soddisfazione abbiam veduti, e riconosciuti in congiontura delle proviste fattene da questa fabrica camerale delle calancà) si somministrava a quella gioventù il modo di profittarne nell'in-

Lo spedale de' Projetti di Città di Castello era gravato dai debiti. Il pontefice Clemente XIV. deputò monsig. Gazzoli visitatore apostolico di detto ospedale.

E concesse al medesimo prelato la facoltà di unire ad esso ospedale l'altro de' malati.

Soppressione de' luoghi pii, ed imposizione di tasse a favore del suddetto spedale unito.

Narrazione dello stato dello spedale, e dell'esercizio degli alunni, ed alunne.

teresse, anche dopo spirato il tempo della sua permanenza nello spedale: e che in fine dal buon sistema, ed economico governo di questi proveniva ogni anno un considerabile sopravanzo; noi sebbene di tutto ciò restammo pienamente consolati, tuttavia sommamente desiderosi di avantaggiare vieppiù quei Nostri amatissimi sudditi, pensammo di eriggere un conservatorio per le povere, ed abbandonate fanciulle, per le quali eraci noto, che esisteva colà una casa, o sia conservatorio istituito da Elisabetta Lazzari, ma sì angusto nell' editicio, e sì scarso di rendite, che non è capace se non d' un numero molto ristretto d' individui, e di gran lunga inferiore al bisogno di quella popolazione; e quindi ordinammo tosto allo stesso monsignor commissario di erogare il suddetto avanzo dello spedale in ampliare, anche coll' acquisto delle occorrenti vicine case, la di lui fabrica, in maniera però adattabile al detto oggetto, che avevamo in mira, e di portarsi altresì sollecitamente in detta città, per riconoscere se in essa, e nella sua diocesi si trovassero, e quali fossero le confraternite, legati, o altre opere, ed istituzioni di poca utilità al publico, o uniformi in qualche parte a quella, che, come sopra, intendevamo di erigere, ad oggetto appunto di supprimerle, ed a questa unire, ed applicare i loro capitali, e rendite: ed anche in questo nuovo incarico si è lo stesso monsignor commissario diportato con il solito suo zelo, esattezza, e prudenza, coll' averci perciò ultimamente riferito, che le confraternite, legati, ed altre opere pie, che secondo le loro rispettive fondazioni pareangli adattabili all' altra, che da Noi intendeasi, come sopra, erigere, erano le opere pie Lazzari, Paolucci, Cristiani, e due confraternite, da' specificarsi in appresso, con averci contestualmente presentate le respettive disposizioni de' fondatori, la pianta dell' edifizio di tutto il suddetto spedale colla distinzione del sito, e fabrica per il conservatorio da erigersi, ed altre opportune scritture, e documenti sopra la totale sussistenza di quanto ci ha rappresentato, ed in giustificazione di tutto il suo precedente operato; quali disposizioni de' fondatori, avendo Noi stessi maturamente esaminate, abbiamo da esse riconosciuto, che la suddetta Elisabetta Lazzari con suo testamento rogato dal notaro Gio: Domenico Fabri li 21 luglio 1741 istituì un conservatorio in detta città da erigersi coll' autorità ordinaria per l' educazione di zitelle orfane della medesima città, di onesti natali, e buoni costumi, e da sciegliersi da monsignor vescovo pro tempore, e da' sacerdoti Filippini della stessa città: che Gio: Paolo de' Paolucci con suo testamento publicato da Giuseppe Buratti ai 17 giugno 1729 istituì suo erede un' ospedale da erigersi nella propria casa in Pietralunga diocesi di Città di Castello, e da servire soltanto per gl' infermi di quel capitanato, con averne commessa l' esecuzione al detto monsignor vescovo, ed all' arciprete pro tempore del medesimo luogo: che Ottaviano Cristiani con testamento rogato li 12 ottobre 1679 da Biagio Leonardi istituì sua erede universale un'opera pia sotto la protezione, e direzione perpetua di monsignor vescovo pro tempore per dar elemosine, e doti di scudi trenta per ciascuna a Vergini di buona fama, e condizione, poverissime, e mendiche di detta città, e suo contado, e di età maggiore di anni diciotto, da estraersi annualmente nel terzo giorno di Pentecoste, colla preferenza di quelle di bontà, e povertà maggiore, e di condizioni, e requisiti migliori delle altre concorrenti, e coll' obligo alle dotate di recitare ogni giorno una salve regina in onore della beatissima vergine in suffragio dell' anima di esso testatore, e de' suoi congiunti. Esaminate poscia le altre scritture, e documenti, abbiam da questi rilevato, che lo spedale è al presente in sì ottimo stato economico, che, qualora se ne prosiegua la buona amministrazione, avrà in ogni anno un considerabile sopravanzo, e con questo potrà supplire in parte al mantenimento del conservatorio erigendo; che però nel tempo stesso, in cui siam rimasti pienamente contenti della pronta, ed esatta esecuzione data dal detto monsig. Gazzoli ai suddetti Nostri ordini, ed anche di tuttocciò, che in seguela di essi, e dell' assunta sua incombenza ha fin qui lodevolmente, e non senza sua fatica, ed incomodo fatto, ed operato, ci siamo determinati in primo luogo di pienamente approvarlo, e confermarlo; indi erigere, ed unire al detto spedale un nuovo conservatorio per le zitelle orfane, ed abbandonate di detta città, e sua diocesi: di unire a questo l' altro conservatorio fondato da Elisabetta Lazzari, come pure lo spedale instituito in Pietralunga dal soprannominato Paolucci, e di sopprimere non meno la sopraddetta opera pia Cristiani, che due

Il regnante pontefice pensa di erigere un nuovo conservatorio di orſane, ed unirlo allo spedale, e ne commette l'ispezione a monsignor Gazzoli.

Relazione del prelato al s. Padre sulle confraternite, e luoghi pii, e sull ampliazione della fabrica dello spedale.

Esamina sua Santità l'istituzioni de' luoghi pii da supprimersi, e lo stato economico dello spedale.

Determina il santo Padre di erigere il nuovo conservatorio di orfane, ed unirlo allo spedale.



L l 2

confraternite di campagna, una cioè sotto il titolo della Madonna di Petrella, e l'altra di Promano, ambedue di poco profitto spirituale a quelle anime, giacchè le loro rendite sogliono almeno in parte impiegarsi in spese inutili, e positivamente non dirette al culto di Dio, con applicare allo stesso conservatorio erigendo li beni, e rendite di tutte, e di ciascuna delle suddette opere pie, e confraternite, come appresso. Pertanto colla presente Nostra cedola di moto proprio, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato il tenore de' precitati Brevi Clementini, del decreto, o decreti, ed altre ordinazioni in esecuzione di essi dal suddetto monsignor Gazzoli fatti tanto sopra le imposizioni di tasse, soppressione, ed unione di più, e diversi luoghi pii, e loro beni a favore del suddetto spedale, quanto sopra la erezione della di lui chiesa in parrocchiale per i suoi alunni, infermi, e ministri ivi dimoranti, de' statuti, e regole formate per il buon regolamento sì spirituale, che civile, ed economico del medesimo, del succennato rescritto Clementino sopra la totale conferma, ed approvazione delle suddette ordinazioni, de' Nostri posteriori rescritti per la conferma del medesimo monsignor Gazzoli in visitatore, e delegato apostolico per lo stesso spedale, non ostante la di lui assenza da detta città, e sopra la facoltà conceduta ad esso, e suoi deputati di distribuire ad oneste zitelle alcune delle infradicende doti, de' preindicati testamenti di Elisabetta Lazzari, Gio. Paolo de' Paolucci, ed Ottaviano Cristiani, il preciso attuale stato non meno del detto spedale, che del detto conservatorio istituito dalla suddetta Lazzari, dello spedale degl' infermi di Pietralunga, e della detta opera pia Cristiani, ed altresì delle predette confraternite di Petrella, e Promano, e la vera, e precisa erogazione delle loro rendite, ed ogni altra cosa quantosivoglia necessaria d'esprimersi, benchè degna di speciale, ed individua menzione, di Nostro moto proprio, certa scienza, e con la pienezza della Nostra suprema potestà, approvando, e pienamente confermando i suddetti Brevi, e rescritti pontificj, quali vogliamo, che rimangano nel loro primiero vigore, ed abbiano tuttavia la loro esecuzione, come se nuovamente da Noi ora si emanassero, ed altresì pienamente approvando tutti i riferiti decreti, statuti, e regole da Noi stessi letti, e maturamente considerati, ad onore, e gloria di Dio, e della sua santissima Madre, e sempre vergine, ad utilità, e vantaggio sì spirituale, che temporale de' Nostri amatissimi sudditi della città di Castello, e sua diocesi erigiamo, ed istituiamo nella medesima città un conservatorio, per ivi educarsi oneste donzelle, istruirsi nella cattolica religione, confermarsi nel santo timor di Dio, ed ammaestrarsi nelle arti confacenti, e adattate al loro sesso, ed utili al pubblico, e alla loro patria, e questo così eretto, ed istituito uniamo, ed incorporiamo perpetuamente al suddetto spedale de' Projetti, ed infermi, in guisa che l'uno, e l'altro debbano considerarsi, e reputarsi sempre per una sol casa, ed un sol luogo, sebbene a diversi pii usi, fini, ed effetti destinato, come anche li beni, rendite, che ad esso conservatorio, come appresso, assegneremo, si abbiano per assegnati ancora al detto spedale, tanto che quelle dell' uno appartengano anche all' altro, e formino una sol cassa; ed avocando a Noi stessi la direzione, ed amministrazione di detti spedale, e conservatorio così uniti, la commettiamo, e concediamo al detto monsignor Gazzoli per ritenerla perpetuamente con qualità di Nostro delegato apostolico, non ostante che si trovi egli al governo di altra città del Nostro stato, o ottenga in avvenire altri impieghi di questa santa Sede, e con tutte quelle facoltà, autorità, giurisdizioni, onori, e prerogative, che per detto titolo gli competono, ed anche di suddelegare altri in suo luogo a tutti gli effetti espressi tanto in detti Brevi Clementini, che nella presente Nostra cedola. Vogliamo indi, ed espressamente ordiniamo, che nel medesimo conservatorio da Noi così eretto, istituito ed unito debbano sempre, ed in perpetuo ammettersi, ritenersi, e mantenersi fanciulle oneste, orfane, povere, ed abbandonate di detta Nostra città, e sua diocesi, ad elezione, e scelta del detto Nostro delegato, o de' suoi suddelegati, e deputati, ed in quel numero, che egli, o essi crederanno possa sopportarsi dallo stato attuale del luogo pio, dopo che si sarà supplito a tutto l'occorrente per il mantenimento dei projetti, ed infermi, e quanto alla scelta, ed elezione delle dette fanciulle, dovranno principalmente esser considerate in essa le orfane di padre, e madre, e fra queste le più povere, ed abbandonate di qualunque condizione; indi le orfane di un sol geni-

Approva li Brevi, e rescritti Clementini, e i decreti, statuti, e regole formate dallo stesso visitatore.

Erige il nuovo conservatorio delle orfane, e lo unisce allo spedale de' malati, e projetti.

Avoca a se la direzione dello spedale, e conservatorio uniti, e la commette a mons. Gazzoli in qualità di perpetuo delegato.

Ordina il modo da tenersi per l'ammissione delle orfane, e per la scelta di esse.

tore, di simil povertà, abbandonamento, e condizione, e finalmente le non orfane, ma parimente povere, o abbandonate, e di ogni condizione, restando per altro in pieno, ed assoluto arbitrio di detto Nostro delegato, o suoi suddelegati, e deputati di variare, e prescindere da tal' ordine a seconda de' casi, delle circostanze, e de' particolari bisogni delle donzelle concorrenti.

Provede al di loro mantenimento colla soppressione di alcune confraternite, e luoghi pii.

Affine poi di provedere al loro mantenimento, a tutto ciò, che abbisognerà per l' anzidetta loro educazione, ed anche alla loro dotazione, sopprimiamo in primo luogo il mentovato conservatorio istituito da Elisabetta Lazzari, le di cui zitelle in esso ora esistenti dovranno farsi passare al nuovo conservatorio tosto che sarà esso costruito, e disposto in maniera da potervisi quelle ritenere, e educare, sotto la sopraintendenza, direzione, e governo del detto Nostro delegato, e de' deputati, e direttori pro tempore di detto spedale, e sotto le leggi, e regole per il medesimo già stabilite, o che dallo stesso Nostro delegato opportunamente si formeranno, e stabiliranno in appresso; e similmente sopprimiamo il detto spedale degl' infermi, come sopra, istituito in Pietralunga da Gio. Paolo Paolucci, la surriferita opera pia istituita da Ottaviano Cristiani, e le accennate due confraternite di campagna, cioè quella della Madonna di Petrella, e l' altra della Madonna di Promano assieme con qualunque giurisdizione, sopraintendenza, e diritto eziandio di elezione, ed amministrazione a qualsivoglia persona, o persone in qualsisia modo competenti in vigore dell' anzidette disposizioni de' suddetti Lazzari, Paolucci, e Cristiani, e di qualsisiano altri loro istitutori, e benefattori;

Applica tutti i beni, rendite, e sopravanzi delle dette confraternite, e luoghi pii soppressi allo spedale.

e tutti i medesimi conservatorio Lazzari, spedale Paolucci, opera pia Cristiani, e confraternite suddette uniamo, incorporiamo, ed applichiamo in perpetuo al detto spedale, e conservatorio con tutti, e singoli loro beni stabili, mobili, e semoventi di qualsivoglia specie, chiese, e loro supellettili, ed arredi anche sagri, e preziosi, frutti, rendite, proventi, emolumenti certi, ed incerti, capitali fruttiferi, ed infruttiferi, crediti, nomi di debitori, residui dovuti dai passati e presenti esattori, ed amministratori, sopravanzi di qualunque sorte, dritti, ragioni, azioni, annessi, e connessi qualsisiano;

Dichiara, che li suddetti beni debbano considerarsi di prima erezione, e perciò esenti dai pesi non privilegiati.

quali beni tutti, e singoli, come sopra, uniti, come che dovranno servire per la detta nuova istituzione, e fondazione da Noi, come sopra, fatta, dichiariamo, e comandiamo, che debbano sempre considerarsi come beni di prima erezione, abbenchè ve ne fosse taluno acquistato posteriormente alla primiera erezione de' medesimi conservatorio, spedale, opera pia, e confraternite, e come tali esenti, immuni, e liberi da tutti i pesi, e dazj non privilegiati. Siccome però per un opera sì pia, ed utile al publico, ed alla povertà, qual' è quella, che è stata da Noi, come sopra, istituita, ci prevaliamo de' beni di altri suddetti luoghi pii, così volendo ancora, per quanto è possibile, secondare le intenzioni de' fondatori, e benefattori di esse, e provedere, che non si diminuisca in quei Nostri sudditi la divozione, ed il culto a quelle sacre immagini, come neppure manchi ad essi il modo per la santificazione delle feste, ordiniamo, ed espressamente commandiamo, che il detto spedale, e conservatorio sia tenuto in perpetuo far trasportare presso di esso a sue spese tutti gl' infermi del capitanato di Pietralunga, per farli ivi curare, e di tener sempre aperta nel medesimo luogo una casa con i necessarj commodi per ivi riceversi, e curarsi similmente a sue spese quei malati, che non potranno commodamente trasportarsi allo stesso spedale di città:

Stabilisce l' occorrente per i malati di Pietralunga.

ed inoltre di far adempire tanto nella detta chiesa di s. Maria di Petrella, quanto nell' altra di s. Maria di Promano tutti quegli obblighi di celebrazione, ed applicazione di messe, che da pii testatori sono stati ingiunti a ciascuna delle dette confraternite, come sopra, soppresse, a norma delle rispettive disposizioni; con che il cappellano, o cappellani, che sodisfaranno i medesimi obblighi, siano tenuti di ascoltare le sagramentali confessioni in tutte le feste di precetto nella maniera stessa sinora praticata, ed in quella forma, che verrà dichiarata, e prescritta dal medesimo Nostro monsignor delegato, e non altrimenti, abrogando nel rimanente ogni altr' obligo di celebrazione di feste, e qualsisia costumanza, ed uso o ordinato da testatori, o stabilito dall' ordinario, o introdotto da confratri.

Prescrive la sodisfazione degli obblighi delle messe nelle chiese delle confraternite soppresse col peso ai cappellani di confessare.

Ad oggetto poi di provedere alla dotazione delle zitelle di detto nuovo conservatorio, la quale vogliamo, che non debba, nè possa mai esser minore di scudi trenta per ciascuna delle medesime, assegnamo per tal titolo le due doti di scudi trenta l' una, che la detta opera pia Cristiani è stata solita distribuire ogni anno a zitelle di detta

Assegna la qualità, e quantità dei sussidj dotali da somministrarsi alle orfane.

città, e qualora accadesse in un medesimo anno il maritaggio di un maggior numero di dette zitelle, in tal caso vogliamo, che possa il detto spedale, e quei, che sopraintenderanno al governo del medesimo, prevalersi al detto effetto delle doti delle opere pie Ronchetti, e Vitelli, che lo stesso spedale deve ogni anno distribuire in seguito dell' unione avuta delle medesime opere pie, a tenore, ed in vigore de' soprariferiti decreti di monsignor delegato; e poichè alcune di queste doti sono di soli scudi dodici, ed altre di scudi diecinove, perciò una di esse dovrà unirsi coll' altra, per formare insieme la somma di scudi trenta per dote di ciascuna delle medesime orfane, le quali non saranno mai soggette ad esser imbussolate, come, relativamente all' altre zitelle, si era ne' medesimi decreti prescritto. E ad effetto che la suddetta Nostra volontà, e quanto nella presente Nostra cedola si prescrive, venga perfettamente, e sollecitamente adempito, ingiungiamo al detto Nostro delegato, che con egual speditezza faccia proseguire l'ampliazione della fabrica del suddetto spedale adattata all' uso di un tal conservatorio, a norma della pianta da esso esibitaci, erogando in quella il suddetto sopravanzo dello spedale, ed anche il prezzo da ritraersi da qualche fondo, che crederà egli debba a tal fine alienarsi, e con acquistare precisamente la vicina casa di Gaetano Matteucci come troppo necessaria alla detta ampliazione, e di somma soggezione allo spedale suddetto, e generalmente tutte le altre case, orti, e siti adiacenti, che stimerà essergli necessarj per lo stesso fine, e per far godere alle zitelle dello stesso spedale quella libertà, e comodo, che gli conviene; e tal' acquisto, o acquisti dovrà fare per il prezzo, e prezzi, che verranno giudicati da due periti publici di detta città, da eleggersi uno per parte, ed in caso di dissenso, dal periziore da deputarsi dallo stesso monsignor delegato, o suo suddelegato, il quale premessane al detto Matteucci, ed agli altri proprietarj di dette case, orti, e siti l' interpellazione per la vendita delle medesime entro il termine di tre mesi, dovrà indi, nel caso di loro renitenza, o mora, procedere *ex officio* colle facoltà da Noi delegategli, tanto all' elezione del perito, o periti suddetti, quanto all' effettiva vendita della detta casa, o case, orti, e siti con tutti i loro annessi, eziandio mediante la stipolazione di publici opportuni istromenti, ed obligarli altresì per li giusti mezzi alla libera consegna della casa, e case, in tal modo vendute. E per l' effetto, esecuzione, e adempimento delle premesse unioni, ed incorporazioni ingiungiamo, e commettiamo al detto monsignor Nostro delegato di prendere per se stesso, o per mezzo di persona, o persone da esso suddelegate, e deputate il pieno, reale, ed attuale possesso de' predetti conservatorio, spedale, opera pia, e confraternite, come sopra, soppresse, ed unite, e di tutti i loro beni suddetti. E finalmente confermiamo, ed occorrendo, nuovamente concediamo allo stesso monsignor delegato la facoltà di fare, in caso di ulterior bisogno del detto spedale, altre consimili soppressioni, ed unioni al medesimo di altre confraternite, luoghi, ed opere pie, a tenore de' sopraccennati suoi Brevi, e rescritto, di far nuovi decreti, regole, statuti, e provedimenti non meno temporanei, che perpetui per il buon governo, e direzione sì morale, che economica, e civile di detto luogo pio, e de' suoi alunni, maestre, direttori, e ministri, ed i già formati moderare, limitare, dichiarare, ed interpretare, come meglio stimerà, concedendogli per il predetto, e per ogni altro fine, ed effetto voluto, ed ordinato non meno da Noi, come sopra, che dal detto Nostro predecessore, tutte, e singole facoltà, che gli saranno opportune, eziandio di procedere contro i renitenti, e disobedienti alle pene comminate, ed espresse ne' detti Brevi, per essere così mente, e volontà Nostra espressa. Volendo, e decretando, che la presente Nostra cedola di moto proprio, benchè non ammessa, nè registrata in camera, e ne' suoi libri, vaglia nondimeno, ed abbia sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, nè gli si possa mai opporre di surrezione, orrezione, nè d'altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse definirsi, decidersi, ed interpretarsi da qualunque giudice, e tribunale, benchè collegiale, e composto di reverendissimi cardinali, ed eziandio da legati a latere, togliendo loro, ed a ciascuno di essi la facoltà di definire, decidere, ed interpretare diversamente, e dichiarando fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente si facesse, o tentasse di fare in contrario, ancorchè non vi siano stati

Ingiunge a monsignor delegato la prosecuzione della fabrica, e la compra di case, orti, e siti vicini a stima de' periti.

Commette l'esecuzione del presente moto proprio allo stesso suo delegato con facoltà di prendere i possessi, anche per mezzo d'altri.

Conferma nuovamente al medesimo prelato le antecedenti facoltà, e gli ne concede altre maggiori.

Decreta, che la presente cedola di moto proprio abbia il suo pieno effetto, benchè non citati, nè sentiti quelli, che avessero qualunque diritto sulle anzidette soppressioni.

chiamati, citati, nè sentiti monsignor vescovo di detta Nostra Città di Castello, nè il procurator fiscale della sua curia, li sacerdoti della congregazione di san Filippo Neri, ed il magistrato, ed officiali della medesima città, l'arciprete, gli uomini, ed abitanti di Pietralunga, e suo capitanato, gli officiali, e confratri delle predette confraternite di Petrella, e Promano, nè altri qualsisiano, che per qualunque titolo, e ragione, anche di riserve, facoltà, ed espresse ordinazioni de' suddetti, ed altri testatori, e pii benefattori delle medesime, e di detti luoghi, ed opere pie, e di giusquesito, e possesso anche centenario vi avessero, o pretendessero d'avervi interesse, e diritto alcuno, non ostante il moto proprio di Pio IV. altro Nostro predecessore *de registrandis*, li preindicati testamenti di Elisabetta Lazzari, Gio. Paolo de'Paolucci, e Ottaviano Cristiani, le costituzioni di Simmaco, e Paolo II. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de'Nostri predecessori, come anche qualsisiano altri testamenti, e disposizioni in ordine alle medesime confraternite, opera, e luoghi pii finora fatte, leggi, eziandio canoniche, statuti, riforme, ancorchè con apostolica autorità fatte, approvate, e confermate, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema potestà, ed apostolica autorità a qualunque vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, che nelle cose premesse potesse intervenire, per questa volta solamente, ed agli effetti premessi amplamente, ed espressamente deroghiamo. Data dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo di 11. ottobre 1780.

Finalmente deroga alle costituzioni, e l ordinazioni de' pontefici predecessori ostative al presente moto proprio, ed a qualsivoglia cosa in contrario.

## CCLXXXIX.

Dat. die 13 novembris 1780 Anno VI.

Archidiacono ecclesiæ Burgi sancti Domnini, seu in illius absentia antiquiori canonico ejusdem ecclesiæ conceditur, ut committere possit omnes omnino causas ecclesiasticas curiæ Burgi s. Domnini in gradu appellationis seu aliis etc.

### Pius PP. VI.

### Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Onerosa pastoralis officii sollicitudo, meritis licet imparibus humilitati Nostræ ex alto commissa crebro Nos admonet, ac inducit, ut ne dum ea, quæ felici, ac fructuosæ Dominici agri culturæ profutura esse noscuntur, provide statuamus, sed etiam veluti solliciti justitiæ custodes, et cultores litigantium utilitati consulentes, ad ea, per quæ, et causis in curiis ecclesiasticis pertractatis celerius, quo fieri potest finis imponatur, et appellationis beneficium a sacris canonibus concessum, ad hoc ut cautius suum unicuique tribuatur in litigantium damnum non immutetur, providentiæ Nostræ oculos intendamus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Rationes ad gratiam indulgendam moventes.

§. 2. Cum itaque, sicut nuper accepimus in causis, quæ in curia ecclesiastica Burgi sancti Domnini agitantur, illud incomode interdum eveniat, ut ipsæ postquam fuerunt a vicario in spiritualibus generali, vel ab alio judice per definitivam sententiam confectæ, et appellationis remedio ad Nostram curiam conscensæ, vel ob angustiam rei familiaris litigantium, vel ob defectum personarum, quæ in hac alma urbe Nostra causis ipsis præsto sint, et quæ cum sit literarum commercium, vel ob alias rationes hujusmodi, non sine gravi justitiæ jactura, vel diutissime hæreant, vel etiam quod dolentes dicimus justam causam succumbentes deserere cogantur, sicque remedium ad veritatis præsidium, ac litigantium utilitatem, et commodum institutum ad iniquitatis defensionem, ac illorum dispendium, ac detrimentum convertatur.

Tenor indulti.

§. 3. Nos, quibus præmaxime curæ est fraudes omnes in damnum litigantium latentes, vel emergentes funditus evellere, licet, ex universis christianorum provinciis jus appellationis in causis ecclesiasticis ad Romanum pontifi-

cem usque ab ipsis Ecclesiæ incunabulis per concilia, ac prædecessorum Nostrorum decreta jure meritoque sit constitutum, nihilominus malis prædictis quantum cum Domino possumus occurrere volentes: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine harum serie archidiacono prædictæ ecclesiæ Burgi sancti Domnini nunc, et pro tempore existenti, eoque absente antiquiori residenti canonico ejusdem ecclesiæ Burgi sancti Domnini concedimus, et indulgemus, ut omnes, et singulas causas beneficiales, et alias quascumque ad forum ecclesiasticum pertinentes, a quibuscumque judicibus civitatis, et diœcesis prædictæ, sive ordinariis, sive delegatis jam decisas, et definitas judicibus synodalibus diœcesanis juxta concilium Tridentinum sess. XXX. cap. XX. de reformat. ac incyclicam felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri die XX. augusti anni MDCCXLI. expeditam, quæ incipit = *Quamvis paternæ vigilantiæ* = qualificatis, nec non aliis ecclesiasticis viris in sacris canonibus laureatis accedente tamen quoad istos partium consensu in gradu appellationis, sive in secunda, sive in alia ulteriori instantia cognoscendas committere auctoritate Nostra apostolica possit, et valeat; judicibus vero, quibus in gradu appellationis quomodolibet causæ prædictæ fuerint commissæ ea audiendi, cognoscendi, fineque debito ad juris tramites, et citatis interesse habentibus etiam per edicta publica terminandi plenam, et amplam facultatem motu, et auctoritate paribus harum serie tribuimus, et impertimur.

Exceptiones speciales.

§. 4. Volumus tamen, et tenore præsentium decernimus a facultate, ut præfertur, archidiacono dictæ ecclesiæ Burgi sancti Domnini committendi causas ecclesiasticas omnes exceptas esse restitutionis in integrum adversus res judicatas quomodolibet, ac etiam per lapsum fatalium subortas, nec non causas omnes valorem excedentes ducatorum mille aureorum de camera, quarum omnium, et singularum commissiones reservatas esse de more apostolicæ Sedi statuimus, prout reservamus, et excipimus. Declaramus insuper, ac mandamus, ut quoad causas nullitatis matrimonii, vel professionis religiosæ in omnibus, et per omnia serventur constitutiones a memorato Benedicto, quarum prima incipit = *Dei miseratione* = et sub die tertia novembris anni MDCCXLI. expedita, et altera incipit = *Si datam hominibus fidem* = die IV. martii MDCCXLVIII. expedita, itaut extra casus in eis expressos, aut præter modum in illis præscriptum causæ hujusmodi, ab archidiacono prædicto committi non possint, neque omnino debeant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictæ diœcesis Burgi sancti Domnini etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia novembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 15. novemb. 1780 Anno VI.

## CCXC.

Concessio fodinarum onychinarum, et marmorearum facta singulis communitatibus status ecclesiastici

### EDITTO

Guglielmo del titolo di s. Eusebio della S. R. C. prete card. Pallotta della Santità di N. S., e sua R. C. A. pro-tesoriere generale.

Publicatio literarum apostolicarum pro thesaurario committitur.

§. 1. La Santità di Nostro signore felicemente regnante sempre intenta al vantaggio delle comunità dello stato ecclesiastico, all'utile de' suoi sudditi, e all'accrescimento del commercio, essendosi degnata di concedere alle comunità dello stato ecclesiastico la facoltà privativa di aprire, e far aprire in qualunque luogo dei respettivi territori le cave di marmi, alabastri, e pietre mischie con diverse riserve, esenzioni, e privilegj espressi nel chirografo dalla medesima Santità Sua sotto li 15 del prossimo scaduto mese di novembre, e a noi per l'esecuzione diretto del tenore seguente =.

Tenor ipsarum.

§. 2. » Rmo cardinale Guglielmo » Pallotta Nostro pro-tesoriere generale. » Amministrando con tanto zelo, e studiando di promovere con nuove maniere il publico bene del Nostro stato » il rmo cardinale prefetto del Buon » Governo, merita certamente, che glie » ne palesiamo il Nostro gradimento, » col prestarci prontamente alle sue lodevoli brame, ed accordargli la grazia, che ci ha dimandata.

Status fodinarum, et jus rev. Cameræ super illis exponitur.

§. 3. » Ci ha egli esposto, essersi » per opera sua trovate diciotto cave di » alabastri, e marmi mischi in diversi territorj del Nostro stato ecclesiastico, colla probabilità di rinvenire » altre proseguendo le stesse diligenze. » Le quali cave, e per diritto, e per » costante consuetudine appartenendo » al principe, dipende dal Nostro arbitrio farne quell'uso, che ne vogliamo. In altri tempi si è investito taluno della facoltà privativa di scavare, e di vendere quanto abbia trovato, riserbandone una porzione, o » vero un annuo canone al fisco.

Præcedentes concessiones recordantur, et incomoda enumerantur obventa.

§. 4. » Il quale uso vincolando con » privilegj esclusivi il commercio, si è » veduto per esperienza, essere poco » utile all'erario. Mentre in tutti coloro, che restano esclusi dalla speranza del guadagno, la industria resta » priva di azione, e di vita; e riducendosi la merce in mano di pochi » il publico è costretto a ricevere quel » prezzo, che parrà ad essi d'imporvi; » delle quali cose l'una viene a privare il fisco, ed i sudditi dell'ampliamento del commercio, che risultarebbe dal moltiplicare il numero degli industrianti, e l'altro aggrava di un giogo assai odioso i compratori.

Jus effodiendi solis communitatibus reservatum esse statuitur.

§. 5. » Abborrendo da un canto » l'animo Nostro da queste false massime di economia, e non convenendo » dall'altro al principe fare a conto » proprio somigliante commercio, e » molto meno di dare a tutti indistintamente la facoltà di scavare, perchè » la emulazione, e le frodi inaridirebbero in breve il commercio, che » vuol farsi fiorire, condiscendendo all'istanze dell'accennato cardinale prefetto del Buon Governo, giudichiamo » opportuno di applicare questo bene » alle rispettive comunità nei territorj delle quali esistono, persuasi, » che così abbiano le comunità, onde » alleviare i pesi, che portano, il commercio de marmi, e degl'alabastri » onde trarre i necessarj presidj a bene indirizzarsi; ed il fisco del principe onde avvantaggiare i suoi diritti. » Ed affinchè tutto siegua con buon'ordine, essendo necessario di far dipendere le comunità dal loro prefetto, mercè del quale si assicureranno meglio gl'interessi delle medesime comunità, vogliamo anche in » questo particolare esaudire le di lui » suppliche.

Tenor concessionis.

§. 6. » Quindi col presente Nostro » chirografo, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserito » il tenore della supplica presentataci, » lo stato, il luogo, e la qualità delle » cave sinora trovate, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, e premessa la dichiarazione, che colla presente concessione » non intendiamo di pregiudicare in » conto alcuno a qualunque altra persona, da cui in vigore di simili concessioni fatte da Noi, o da Nostri » predecessori fosse stata aperta altra » cava di detti marmi, e pietre mischie nel Nostro stato, e molto meno intendiamo d'impedire in esso la » introduzione, e la vendita solita a farsi » di qualsivoglia sorta di marmi, e non » altrimenti ec. di Nostro moto-proprio, » certa scienza, e pienezza della suprema Nostra podestà, ordiniamo a

» a voi, che in nome Nostro, e della » Nostra camera diate, e concediate, » siccome Noi diamo, e concediamo » a quelle comunità del Nostro stato » ecclesiastico, per le quali secondo » l'opportunità si farà l'istanza a voi, » o ai vostri successori dal reverendis- » simo cardinal prefetto del Buon Go- » verno, la facoltà privativa in perpe- » tuo di aprire, e far aprire ne' res- » pettivi loro territorj una, o più cave » di marmi, alabastri, e pietre mi- » schie.

Cavetur ne quis impedimentum excavationi præbere valeat.

§. 7. » Senza che possano essere » impedite dai possidenti de' terreni, » baroni de' feudi, e da qualsivoglia » altra persona secolare, regolare, ed » ecclesiastica di qualsivoglia stato, gra- » do, e condizione abbenchè degna di » speciale, ed individua menzione, » coll' obbligo ad ognuna delle suddette » comunità, e per esse al reveren- » dissimo cardinale prefetto pro tem- » pore del Buon Governo di pagare in » primo luogo alla Nostra camera nel- » la vigilia, o festa de' gloriosi aposto- » li Pietro, e Paolo tanto per le cave » già aperte, quanto per l'altre da » aprirsi ne' rispettivi loro territorj un » annuo canone, o sia risposta da con- » cordarsi da voi, e vostri successori » coll' enunciato cardinal prefetto sotto » pena di caducità nel caso del ritar- » dato pagamento; ed in secondo luo- » go di indennizzare i proprietarj de' » terreni da qualunque pregiudizio, » mediante la riduzione in pristinum » del sito da scavarsi, e la rifazione di » ogn' altro danno, che potessero ri- » sentire per l'apertura di dette cave, » trasporti dei marmi, introduzione di » bestiami, ed altro da liquidarsi da » due periti, uno de' quali venga eletto » dal padrone del fondo, e l'altro per » parte della comunità; ed in caso » di discrepanza da un periziore da » deputarsi dal sunnominato cardinal » prefetto del Buon Governo, al cui » giudizio ambe le parti dovranno on- » ninamente acchetarsi.

Cardinal præfectus pro tempore sac. congregationis Boni Regiminis, perpetuus eligitur præses. et curator fodinarum.

§. 8. » E siccome nell' applicare al- » le comunità del Nostro stato eccle- » siastico il diritto, e l'utile di que- » sta Nostra regalia, l'unico Nostro » intendimento è di giovare alle medesi- » me, e di ampliare il commercio » degli alabastri, marmi, e pietre mi- » schie, così per ottenere più facilmente » il fine che ci siamo proposti, vo- » gliamo, ed ordiniamo, che la tota- » le sopraintendenza delle suddette cave » debba privativamente ad ogni altra » persona, appartenere al reverendis- » simo cardinal prefetto pro tempore » del Buon Governo, tolta ai rispettivi » comunisti la facoltà di disporre del- » l'uso, e degli utili dell' anzidette » cave; di sorta che tutto il denaro, » che si ritrarrà dalla vendita degli ala- » bastri, marmi, e pietre mischie deb- » ba interamente depositarsi nel Nostro » monte di Pietà di Roma a credito del- » le rispettive comunità, ed a libe- » ra disposizione del ridetto cardinal » prefetto per erogarlo primieramente » nel pagamento dell' annuo canone ri- » servato a favore della Nostra ca- » mera, e secondariamente a vantag- » gio di quelle comunità, dalle quali » saranno state ne' proprj territorj tro- » vate, ed aperte le dette cave. Per fa- » cilitare poi, ed estendere anche ne' » paesi esteri il nuovo commercio, che » si vuole introdurre, degli alabastri, » marmi, e pietre mischie, concedia- » mo alle stesse comunità la libera » introduzione delle medesime in Ro- » ma, ed estrazione per fuori di stato » tanto per terra, quanto per mare » senza il menomo pagamento di al- » cun dazio, e gabella sia comuni- » tativa, sia camerale, eccettuate però » le due tasse del fiumicino, e del ri- » sarcimento. E per evitare le frodi ba- » sterà, che li trasporti siano corredati » colla fede sottoscritta dai magistrati, » e segretarj, i quali attestino con giu- » ramento, essere state cavate le dette » pietre nei territorj delle loro comu- » nità.

Declarationes speciales pro recta intelligentia concessionis indultæ.

§. 9. » Finalmente a scanzo d'o- » gni lite, e controversia, che per av- » ventura potesse insorgere sull' intel- » ligenza della presente concessione di- » chiariamo, che nella medesima non » siano, nè s'intendano comprese le » cave di pietre sulfuree, alluminose, » vetrioliche, e saline, delle quali il » diritto privativo è stato già affittato » ai rispettivi appaltatori camerali; co- » me neppure le altre cave di pozzo- » lana, gesso, pietra da far calce, tra- » vertini, e peperini, e molto meno » le cave, o sian miniere d'oro, ar- » gento, rame, piombo, e simili me- » talli, ma soltanto siano comprese nella » presente concessione le pietre mi- » schie, che ricevono il lustro, e ser- » vono per decoroso ornamento di al- » tari, ed altri ornamenti intimi del- » le fabbriche. Dichiariamo inoltre, » che volendo la Nostra camera pre- » valersi, e far uso delle divisate pie- » tre per i suoi edificj, debba essere

» preferita ad ognuno, anche per un » terzo meno del prezzo, che si offerisse da un altro. Ed in fine dichiariamo, che siccome il privilegio » fiscale non ammette distinzione di » luoghi, e di persone, così la facoltà » di aprire le suddette cave da Noi accordata alle comunità del Nostro stato, » debba estendersi eziandio ai luoghi baronali, ed ai terreni posseduti dai baroni, di qualunque stato, grado, e condizione essi siano; e con tali dichiarazioni, ed altri patti, capitoli, privilegj, e » condizioni, che a voi piacesse d'aggiungere, ne stipolarete a favore dell' enunciate comunità publico istromento, concederete inibizioni, e publicarete ad » ogni istanza del reverendissimo cardinal prefetto del Buon Governo, notificazioni, ed editti anche penali, e » farete tutt' altro, che per la piena esecuzione della presente Nostra grazia » stimarete necessario, e conveniente, » dandovi Noi a tale effetto tutte le facoltà necessarie, ed opportune, oltre » quelle, che vi competono per ragione » del vostro officio di pro-tesoriere generale, essendo così mente, e volontà » Nostra espressa.

Clausulæ irritantes, et derogatoriæ.

§. 10. » Volendo, e decretando, che » il presente Nostro chirografo, d'ammettersi, e registrarsi in camera secondo la disposizione della Bolla di » Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis* vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, » e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, ancorchè non vi siano stati » chiamati, citati, nè sentiti li possidenti de' terreni, monsignor commissario della Nostra camera, nè altri, » che vi avessero, o pretendessero d'avervi interesse, non ostante la costituzione di Simmaco, Paolo II., Paolo IV., » e del detto Pio IV. *de rebus ecclesiæ, et cameræ non alienandis*, la » regola della Nostra cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e qualsiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed » ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, » e singole avendone il loro tenore qui » per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato, per questa volta » solamente, ed all' effetto suddetto pienamente deroghiamo. » Dato dal Nostro palazzo apostolico 15 novembre 1780.

PIUS PP. VI.

Decretum executoriale.

§. 11. Pertanto acciò le lodevolissime providenze di Sua Beatitudine abbiano il loro pieno effetto, e sia eseguita la mente, e volontà potificia, coll' autorità del nostro officio di pro-tesoriere generale, e delle facoltà particolarmente concesseci nell' inserto chirografo, ordiniamo, e comandiamo a tutte, e singole persone di qualsisia stato, grado, e condizione ecclesiastica, regolare, secolare, e benchè degna d'individua menzione, che non ardiscano sotto qualsivoglia titolo, causa, e pretesto d' impedire alle comunità concessionarie, loro uomini, soprastanti, e lavoranti di aprire, e far aprire le cave de' marmi, alabastri, e pietre mischie, e quelle già aperte, continuare in qualunque luogo, e parte dei respettivi territorj, ancorchè baronali, e non possino li padroni de' fondi ove seguiranno le dette cave, benchè posseduti dai baroni dare per tal conto alcuna molestia, o impedimento alle suddette comunità, e loro operaj. Come ancora, che niuno ardisca d' impedire l'estrazione dei nominati marmi, dai rispettivi territorj, e trasporto di essi al loro destino, e solamente li padroni dei fondi possino domandare l' emenda de' danni, e la riduzione in pristinum nella maniera ordinata nel detto pontificio chirografo, e non altrimenti. Commandiamo inoltre, ed ordiniamo alli magistrati, officiali, e comunisti rispettivi della suddette comunità di dover attendere, e inviolabilmente osservare quanto viene disposto nell' inserto pontificio chirografo sotto le pene in caso di contravenzione, di scudi cento per ciascuna volta, ed anche corporali a nostro arbitrio, secondo la qualità de' casi, e delle persone, e lo stesso s'intenda contro quelli, che impedissero alle medesime comunità l' apertura, e lavoro delle suddette cave, e trasporti de' marmi nella maniera di sopra indicata. E finalmente ordiniamo, e commandiamo a tutte, e singole persone di sopra nominate, che non ardiscano sotto qualsivoglia pretesto aprire, o far aprir cave de' marmi suddetti nelli territorj delle riferite comunità, ancorchè le cave si facessero nei proprj terreni, e che per proprio uso abbisognassero, sotto le riferite pene.

Avvertendo ognuno, che il presente editto affisso, e publicato, che sarà nei luoghi soliti di Roma, e delle rispettive comunità astringa tutti alla pronta esecuzione, e puntuale osservanza, come se fosse stato a ciascuno

personalmente intimato, e presentato. Dato in Roma dalla nostra residenza nel palazzo di monte Citorio questo dì 14. dicembre 1780.

---

Dat. die 20 novembris 1780 Anno VI.

## CCXCI.

Derogatur statutis ordinis canonicorum regularium ssmæ Trinitatis redemptionis captivorum provinciæ Castellæ in ea parte, qua conceditur prædicatoribus privilegium exemptionis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium

§. 1. Pastoralis officii Nobis, licet immerito, divina dispensatione commissi satis postulat, ut ea, quæ ad æqualitatem, pacem, tranquillitatemque inter personas præsertim divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatas firmandam, conservandamque prospiciunt, omni sollicitudine curare satagemus, iis etiam moderatis, revocatis, et prorsus immutatis, quæ licet alias provide disposita, ac statuta fuerint, ex humanarum tamen rerum conditione potius in animarum Christifidelium detrimentum, quam salutem, divinique cultus imminutionem, quam augumentum cedere nunc compertum est, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum a ministro provinciæ Castellæ.

§. 2. Sane dilectus filius minister provincialis provinciæ Castellæ ordinis canonicorum regularium sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum nuncupatorum, nomine etiam definitorii dictæ provinciæ Nobis nuper exponi fecit, quod quamvis in eadem provincia ea adamussim fuerint adimpleta, quæ alias in ipsius provinciæ bonum fuerunt præscripta, nihilominus cum in ipsius ordinis statutis, ac constitutionibus auctoritate apostolica confirmatis cautum sit, iis inter canonicos regularis ordinis prædicti, qui tamquam a ministro provinciali pro tempore existenti electi per integros duodecim annos in quovis ejusdem ordinis conventu sacro prædicationis ministerio laudabiliter functi essent, exemptionem, seu *Giubilazione* esse concedendam, unde numerus exemptorum in dicta provincia quotidie non sine divini cultus, ecclesiarum, et communitatis incommodo admodum excrescat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur provincialem prædictum, ipsiusque definitorium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulas personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, memorata dicti ordinis statuta, ac ordinationes, et constitutiones in ea parte, quæ privilegium exemptionis prædictum concernunt, præsentibus pro plene, et sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta habentes, ut in futuris perpetuis temporibus hi dumtaxat canonici regulares ordinis prædicti, qui per annos duodecim, prævia de illorum persona nominatione, legitime a provinciali pro tempore existenti facta in conventibus Matritensi, Toletano, Conchensi, Locroniensi, Burgensi, Vallisoletano, Civitatensi, Zamoriensi, Segobensi, Argelitano, et Functano in Affrica sacræ prædicationis ministerio functi erunt, omnibus, et singulis privilegiis, alias, ut præfertur, concessis uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica harum serie constituimus, et ordinamus, ita tamen, ut in eventum alicujus vacationis in conventibus prædictis, provincialis pro tempore existens in locum vacantem, alterum ex iis, qui legitime deputatus in cæteris conventibus munus prædicatoris prædictum exercuerit, nisi illius nominatio aliunde impediatur, sufficere omnino teneatur, volumus, ac statuimus. (Tenor concessionis)

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, (Clausula sublata, et decretum irritans.)

ac irritum, et inane, si secùs super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicta memorati ordinis constitutione, cæterisque statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima novembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 21 novemb. 1780 Anno VI.

## CCXCII.

**Translatio festi s. Francisci de Paula in regno Siciliæ ultra Pharum, et præceptum recitandi missam, et officium illius.**

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Desiderium, quod ad religionis propositum, et animarum salutem pertinere monstratur, animo Nos decet libenti petentium votis congruum suffragium concedere, ut videlicet fidelis devotio celerem sortiatur effectum, et utilitas postulata indubitanter vires assumat.

Tenor precum porrectarum.

§. 2. Sane pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis, ac fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum regni Siciliæ ultra Pharum nuper Nobis expositum fuit, quod alias felicis recordationis Clemens pp. XII. prædecessor Noster de consilio venerabilium fratrum Nostrorum, tunc suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium sacris ritibus præpositorum per suas literas in simili forma Brevis die xv. julii anni MDCCXXXIX. expeditas in compatronum principalem regni Siciliæ ultra Pharum cum omnibus prærogativis patroni principalis sanctum Franciscum de Paula ordinis prædicti fundatorem declaravit, ac confirmavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illius diem festum multis rationabilibus de causis cum omnibus prærogativis prædictis a die proprio ad dominicam secundam post pascha Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi per Nos transferri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium congregationis prædictæ specialiter deputatorum consilio, diem festum memorati sancti Francisci de Paula cum omnibus prærogativis patroni principalis ad secundam dominicam post pascha Resurrectionis adeo, ut omnes, et singuli tum sæculares, tum regulares utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, illius officium, et missam cum octava in posterum etiam de præcepto recitare, et celebrare debeant, auctoritate apostolica tenore præsentium transferimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas perpetuis futuris temporibus semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere,

ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, e sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima prima novembris, millesimo, septingentesimo, octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

Dat. die 26 novembris 1780 Anno VI.

## CCXCIII.

Erigitur in civitate Ulyssipponensi tribunal commissionis pontificiæ, ac regiæ super examine librorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Jura s. Sedis memorantur super proscriptione librorum pravas doctrinas disseminantium.

§. 1. Romanorum pontificum, quibus est a Domino Nostro, et Salvatore Jesu Christo facta in beato Petro pascendi universi christiani gregis, regendique potestas, in eo semper vigil, atque sollicita cura versata est, ut ne quæ pravæ doctrinæ semina in agrum Dominicum inferantur; quæ quidem et pullularent dentius, et latissime propagarentur, nisi cautione, et providentia sacerdotali intercluderetur tot librorum introducendorum via, quos in dies non ad instruendum publicari cernimus, sed ad subvertendum. Id cum Tridentina synodus satis explorate perspectum, et cognitum haberet, indicem librorum prohibitorum, quem salutari decreto suo confici jusserat, exhiberi Sedis apostolicæ antistitibus oportere testata est, ut eorum judicio, et auctoritate perficeretur, atque evulgaretur, quorum ad hæc usque tempora diligens investigatio serpentes profanas novitates detexerat, vigilantia divulgaverat, censura, et auctoritas coercuerat; neque vero ignota sunt, quæ inde communi saluti consultura Sedes apostolica statuit, quo mala bonis permixta, tamque multis in libris sata gramina oves Christi possint secernere, ac vitare. Hac in alma quidem urbe Nostra cautum est a pontificibus prædecessoribus Nostris, ne opus ullum cuiquam imprimere, emittereque in publicum liceat, non ante impetrata a dilecto filio sacri palatii apostolici magistro pro tempore existenti facultate, qui illud, aut per se, aut adhibitis doctis, gravibus, et accuratis censoribus, per quam diligenter expenderit. Quin etiam eorumdem prædecessorum Nostrorum prospicientia singulari, atque sollicitudine factum videmus, ut venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium hæreticæ pravitatis inquisitorum, et Indicis congregationes id continenter agant, et elaborent, ut qui libri ubivis locorum vulgati in suspicionem erroris vocati sint, cogitate, studioseque considerentur, ac si quid in iis pravitatis deprehensum fuerit proscribantur, caveaturque, ne a quoquam catholicorum ubicumque degat, retineri, aut legi possint.

Memorantur adjumenta ab orthodoxis principibus apostolicæ Sedi continuo præbita ad nefariam hanc pestem eliminandam.

§. 2. Qua in re, et alias sæpe, et nunc etiam Sedes apostolica adjumentis est usa principum orthodoxorum, quibus cum jus sit proscribendi libros, quos ipsi arbitrentur, noxios statui, seu reipublicæ suæ civili fore, tum illud etiam est vehementer cordi, ut qui item libri doctrinæ pravæ causa (de qua judicare ad Ecclesiam pertinet) reprobati auctoritate pontificum sint, e manibus suorum subditorum tollantur, seu venenum, quod lectione detestabilium operum eo propinatur perniciosius, quo venenata pocula, quodam veluti melle perlinita sint, ne usquequaque sentiantur, quæ sunt futura mortifera; cujusmodi operum hac ætate permulta dolemus esse, quæ decipiendæ imperitæ, aut incautæ plebis causa circumferuntur.

Laudatur consilium reginæ fidelissimæ erigendi tribunal ecclesiasticum pro censura librorum.

§. 3. Sane cum inter catholicos, eximieque religiosos principes hujusmodi carissima in Christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliæ, et Algarbiorum regina fidelissima jure, ac merito enumeretur, quæ ut primum divino munere ad regium solium pervenit, serio cogitans, quæ damna ex fraudolenta pravorum librorum in regna prædicta introductione Christifidelibus suis subditis inferri possent; licet aliquid de avertendo tam gravi malo a

claræ memoriæ Josepho primo, dum vixit, rege fidelissimo genitore suo constitutum fuit; quoniam tamen ea, quæ de sanæ doctrinæ custodia statuenda sunt, ad Sedem divi Petri referri oportere probe novit, ut tota ejus auctoritate justa, quæ fuerit pronunciatio firmetur, indeque sumant cæteræ ecclesiæ, veluti de natali suo fonte aquæ cunctæ procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latius capitis incorrupti manent, quid decernendum sit, quidque christianæ plebi præcipiendum. Nobis propterea pro parte memoratæ Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ expositum fuit, methodum usque adhuc in præfatis Portugalliæ, et Algarbiorum regnis ad evellendam tot damnorum radicem observatam minus commodam esse, quippe quia omne de probandis, publicandisque, ac introducendis libris judicium sola unius, alteriusve censoris relatione nitatur, eamque idcirco legitimum tribunal a personis ecclesiasticis compositum institui, cujus præcipua sit, et singularis de libris aut adprobandis, aut reprobandis cura, cuique librorum eorumdem expendendorum, ac dijudicandorum auctoritas delegetur, tribunal commissionis pontificiæ, ac regiæ super examine, ac censura librorum denominandum summopere desiderare.

Erigitur tribunal cum commissione pontificia, et regia.

§. 4. Nos igitur, qui summa quæque studia Nostra, diligentiam, operam præstamus iis omnibus, quæ ad tutelam, amplitudinem, decus religionis, et spirituale populorum bonum, atque ad publicam regnorum tranquillitatem conferre posse videntur: motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tribunal, cui, ut præfertur, commissionis pontificiæ, ac regiæ super examine, ac censura librorum indenda sit appellatio, cuique præcipua cura, atque onus singulare erit proprium in examen revocandi, et adprobandi bonos, atque utiles, malos vero contemnendi libros, nec non suspensione, interdicto, excommunicatione, aliisque pœnis in offensis memoratæ reginæ fidelissimæ juribus inobedientes sibi homines coercendi in civitate Ulyssipponensi erigimus, ac tenore præsentium constituimus, ac deputamus. Verum cum inter præcipuas pastorum curas ea sit, concreditas sibi oves a pravis pascuis avertere, hinc salvam, et illæsam esse episcoporum in præfatis regnis consistentium auctoritatem eis a sacrosancta Tridentina synodo attributam harum serie decernimus, ac declaramus. Quamquam vero ad hæc usque tempora sanctæ Inquisitionis tribunal in eisdem regnis consistens diligenter caverit, nequi libri in ea ipsa regna irreperent, quibus in periculum vocari simplicium, incautorumque hominum fides posset, ne tamen, si id agere pergat, ulla inter sanctæ ejusdem inquisitionis, novique tribunalis ministros oriatur propter jurisdictionem contentio, quæ pacem perturbet, tranquillitatemque communem, edicimus, ne posthac Lusitanis hæreticæ pravitatis inquisitoribus jus sit ullum dijudicandorum, notandorum, damnandorumque librorum, sed ea omni potestate tribunal commissionis pontificiæ, ac regiæ potiatur.

Declaratur a quibus personis in perpetuum tribunal sit componendum.

§. 5. Mandamus præterea, ut nunc, perpetuisque futuris temporibus illud ipsum pontificiæ, ac regiæ commissionis tribunal a personis ecclesiasticis componatur; quæ personæ a memorata Maria Francisca regina fidelissima, deincepsque a suis successoribus seligantur, ac deputentur, utque insuper Ulyssipponensis patriarcha Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis unum aliquem in sacris constitutum suo arbitrio designet, qui suas vices in eodem tribunali gerat. Quin etiam volumus, ut qui ejus tribunalis a regia majestate nominatus præses, is omnino sit a Romano pontifice in ea dignitate, atque officio confirmandus. Sed cum sine gravi, aut detrimento, aut incommodo fieri nequeat, ut dum ex urbe Roma confirmatio expectatur, præsidis ejusdem facultas exercendi muneris suspensa maneat, concedimus, ut is, simul ac primum dictus est præses, a pontifice confirmationem petat, dumque hanc opperitur, nuncio apostolico se se sistat, ut hujus verbali assensu, obire interim munus possit.

Eidem tribunali committitur jus concedendi licentias retinendi literas.

§. 6. Demum si venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium hæreticæ pravitatis inquisitorum, ac Indicis congregationibus supplices libelli subditorum memoratæ Mariæ Franciscæ reginæ ad retinendos, legendosque vetitos libros in posterum porrigantur, esse eos remittendos, non velut hactenus factum est, ad sacræ Inquisitionis tribunal in illis regnis existens, sed ad tribunal pontificiæ, ac regiæ commissionis, motu, scientia, ac potestate paribus harum serie præcipimus, ac ordinamus.

Clausulæ salutares, et irritantes

§. 7. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et effi-

caces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima nona novembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCXCIV.

Dat die 20 decembris 1780 Anno VI.

Privilegium ordinariæ jurisdictionis in causis primæ instantiæ, quo fruitur ab immemorabili confalonerius, et magistratus civitatis Tiferni, confirmatur

### Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Inter præcipua vigilantis pontificis studia, illud profecto esse debet, ita eos, qui sub immediata Sedis apostolicæ defensione, ac temporali dominio constituti esse noscuntur, in eorum justis petitionibus, et votis confovere, ut eisdem sine cujusque injuria per legitimos tramites justitia ministretur, aliasque desuper opportunis remediis, prout rerum, et temporum, ac personarum conditione pensata commodius esse prospexerit, providere.

Expositio precum.

§. 2. Sane Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum magistratus, et hominum civitatis Nostræ Tiferni expositum fuit, quod ab immemorabili confalonerius ejusdem civitatis pro tempore existens est in pacifica quasi possessione juris judicandi, ac decidendi in prima instantia, et veluti judex ordinarius eas causas civiles, quæ ad tribunal illius quotidie deferuntur, eaque propter suum etiam habet actuarium, cujus officium est acta, ac causarum hujusmodi processus scribere, et colligere. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet prætor ejusdem civitatis auctoritate Nostra apostolica deputatus sit judex ordinarius primæ instantiæ causarum omnium, quæ in dictæ civitatis, ejusque comitatus districtu moventur, nihilominus cum in dicto confalonerii tribunali taxæ actorum mitiores sint, quam in tribunali prætoris, immo judex pro sententiarum expeditione nullam sportulam consequatur, ac solemnitates, et formæ in judiciis adhiberi solitæ minime observentur, quod in causis præsertim lævissimis, ac inter miserabiles personas agitatis, cujusmodi sunt illæ, quæ ad tribunal confalonerii deferri solent, prægrandem utilitatem affert; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur inter maximas perturbationes, quibus in apostolici ministerii procuratione undique conflictamur, hoc maxime cupientes, ut subditorum Nostrorum commodis apprime consulatur, eisque eo minori, quo fieri potest dispendio in pauperum utilitatem æquitatis, et justitiæ complementum ministretur, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de dilecti filii Nostri Bernardini tituti ssmæ Trinitatis in monte Pincio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis Giraud

nuncupati Nostri pro auditoris consilio, nec non audito dilecto itidem filio magistro Aloisio Gazzoli, privilegium ordinariæ jurisdictionis per confaloncrium, et magistratum civitatis prædictæ ab immemorabili tempore hucusque, ut præfertur, comulative exercito iisdem modo, et forma quibus eo semper usi sunt, et utuntur, et quoad causas civiles tantum, quæ non excedant summam scutorum quindecim monetæ Romanæ auctoritate apostolica harum serie confirmamus, et approbamus, eique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, et quatenus opus sit de novo illud concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo, pontificatus Nostri anno sexto.

## CCXCV.

Dat. die 2 januarii 1781 Anno VII.

Dismembratio quatuor parochialium ecclesiarum a diœcesi Ravennatensi, earumque unio diœcesi Cæsenatensi.

Pius episcopus servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Proeminum.

§. 1. Satis Nobis aliquorum populorum spirituali regimini, et unius episcopalis Sedis decori consultum minime videremur, nisi post nonnulla illi attributa loca alia etiam propiora, quæ usque modo longius a pastore fuere dissita, eidem Sedi addiceremus; ita quidem fiet ut episcopus boni gerens vices pastoris supra gregem sibi creditum cominus excubans diœcesim facilius perlustrando munia, quibus a Tridentina synodo oneratur, plene valeat adimplere.

Memoratur dismembratio alia facta a diœcesi Ariminensi.

§. 2. Cum alias Nos inter plura late patentis diœcesis Ariminensis oppida, terrasque, et loca nonnullas paræcias, aliasque ecclesias pluribus passuum millibus a civitate Arimini distare, sed civitati Cæsenæ ita adhærere, et fere adjacentes esse perpenderimus, ut ad illam, quæ remotior erat spatio duarum circiter horarum commode posset accedi, animo reputavimus magis appositam in ea parte diœcesum distributionem constituere. Propereaque per alias Nostras literas sub datum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo quinto idus julii pontificatus Nostri anno tertio, easdem paræcias, et ecclesias prævia ab Ariminensi diœcesi dismembratione ecclesiæ Cæsenatensi cui nimis angusta parebat diœcesis addiximus.

Exponitur ratio qua movetur pontifex, ut novam decernat dismembrationem.

§. 3. Verum cum Nos, cui in civitate Cæsenæ dies natalis primum illuxit minime lateat, quod in Ravennatensi diœcesi quatuor extant paræciæ plurium itidem passuum millibus a Ravenna distantes, Cæsenæ tamen ita quoque proximæ, ut earum remotior septem millibus passuum dumtaxat ab ea sit dissita, aliæ vero tres propinquiores sint, ideo Nos qui commendatione quadam naturæ nedum ad civitatis, sed etiam ad illius ecclesiæ episcopalis decorem amplificandum gratitudinis gratia sumus invitati Cæsenatensem ecclesiam, cujus diœcesis neque modo porrectos fines habet earumdem quatuor parochialium ecclesiarum additione augere exoptamus, firmam spem foventes, et

fiduciam illorum locorum incolis, ex hoc non exigua obventura spiritualia subsidia.

Descriptio locorum dismembratorum, et respective assignatorum.

§. 4. Nos igitur Ravennatensi metropolitana sede pastoris modo solatio destituta, antequam a Nobis novus ordinetur archiepiscopus, qui regimini adeo insignis ecclesiæ præsideat motuproprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine unam sancti Petri plebis Sextinæ in territorio Cæsenatensi inter rivum Dismanum, et flumen Sapin, et alteram sancti Christophori in villa sancti Christophori ejusdem territorii, ac aliam sancti Andreæ in villa ejusdem sancti Andreæ in Bagnolo nuncupat: etiam territorii Cæsenatensis, et reliquam sanctæ Mariæ de Nive Novæ nuncupatæ in villa sancta Maria Nova territorii Brictinoriensis parochiales ecclesias, earumque circuitus, et ambitus parochiales per integros eorum limites cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, et oratoriis, conventibus, hospitiis regularium, piisque locis, si quæ infra limites ipsarum parochialium ecclesiarum modo sint, et in futurum existent; nec non ipsarum parochialium ecclesiarum rectores, ac quoscumque presbyteros, et clerum omnem, ac populum infra eosdem limites de præsenti commorantes, et commoraturos, quæ, et qui hactenus archiepiscopo Ravennatensi pro tempore existenti, ejusque ordinariæ jurisdictioni subjectæ, et subjecti, atque de ejus diœcesi fuere ab omni Ravennatensis archiepiscopi jurisdictione, et ab illius diœcesi penitus, et omnino apostolica Nostra auctoritate ipsarum vigore præsentium perpetuo dismembramus, sejungimus, separamus, ac dividimus, nec non a Ravennatensis archiepiscopi superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, correctione, ac quibusvis aliis juribus Ravennatensis ecclesiæ, etiam decimas quascumque, et proventus, aliaque jura persolvendi prorsus, et omnino perpetuo pariter eximimus, et liberamus.

Dismembratæ ecclesiæ uniuntur diœcesi Cæsenatensi.

§. 5. Iisque, ut præfertur, dismembratis supraenunciatas quatuor parochiales ecclesias, earumque circuitus, et ambitus per integros ipsarum limites cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, oratoriis, conventibus, hospitiis regularium, piisque locis infra limites ipsarum parochialium ecclesiarum si quæ sint, et in futurum existerint. Itidemque modernos, et pro tempore existentes earumdem quatuor parochialium ecclesiarum rectores, et quoscumque presbyteros, ac clerum omnem, et populum inibi nunc, et pro tempore degentes Cæsenatensi ecclesiæ, illiusque venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti episcopo Cæsenatensi, et illius ordinariæ jurisdictioni, auctoritati, et potestati, collationi quoque, et visitationi, ac correctioni, nec non quibusvis omnibus, et singulis actibus, qui episcopalis ordinis sunt, et episcopi in sua quisque diœcesi de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet agere, ac quibus uti solent, et possunt, nec non etiam cum quibusvis juribus, decimis, et proventibus ex ipsis ecclesiis per archiepiscopum Ravennatensem hactenus percipi solitis etiam perpetuo assignamus, subiicimus, subponimus, ac plenarie concedimus. Ipsisque quatuor parochialium ecclesiarum rectoribus presbyteris, et clericis, incolisque quibuscumque, ut ipsi moderno, et pro tempore existenti episcopo Cæsenatensi tamquam proprio eorum ordinario in omnibus pareant, et obediant etiam præcipimus, et mandamus. E converso vero venerabili fratri Nostro episcopo Cæsenatensi clerum, populumque ejus regimini, et spirituali curæ a Nobis addictum specialiter in Domino commendamus, et summopere exoptamus, ut ipse eo, quo flagrat cleri disciplinæ, et animarum salutis zelo illos peramanter excipiat, et sicut in primaeva sua diœcesi servare solet sibi in fratres, ac filios adsciscat.

Quodlibet juris remedium tollitur, ne literæ apostolicæ plenam consequantur executionem.

§. 6. Præsentes autem literas etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad id vocati, et auditi non fuerint, seu etiam ex eo, quod Ravennatensis ecclesia modo pastoris solatio destituta existens defensore caret de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti remedium impetrari posse; nec illas sub quibusvis generalibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, si quæ fierent, comprehendi, sed tamquam ad prosperum populorum spirituale regimen in salutem animarum editas, et emanatas semper ab illis excipi, validasque, et efficaces esse, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque ab omnibus censeri.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Ita quoque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum

palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et vice-legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, et de unionibus, ac dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de præstando consensu in similibus unionibus, et dismembrationibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac etiam in universalibus, et provincialibus conciliis æditis generalibus, et specialibus constitutionibus, ecclesiæque Ravennatensis privilegiis; indultis quoque, et literis apostolicis *illi*, ejusque archiepiscopo, et capitulo, et canonicis, ac civitati Ravennatensi etiam specifica, et expressa, atque individua mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie etiamsi motu simili, et consistorialiter in contrarium præmissorum forsan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia quævis exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, et clausulas præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac insertis habentes, *illis* alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat latissime, ac plenissime, atque specialiter, et expresse auctoritatis Nostræ plenitudine harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ dismembrationis, sejunctionis, separationis, divisionis, exemptionis, liberationis, assignationis, subjectionis, subpositionis, concessionis, præcepti, mandati, decreti, atque derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo primo, quarto nonas januarii pontificatus Nostri anno sexto.

---

## CCXCVI.

Confirmatio erectionis confraternitatis sanctissimi Sacramenti loci Ponti Comensis diœcesis

Dat. die 5 januarii 1781 Anno VII.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur quæ fuerit confraternitatis erectio.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit, quod alias in parochiali ecclesia sancti Mauritii loci Ponti territorii de Medio Vallinæ Comensis diœcesis una pia, et devota Christifidelium confraternitas sub titulo ssmi Eucharistiæ sacramenti usque ab anno 1615 a bonæ memoriæ Philippo, dum viveret, episcopo Comensi auctoritate ordinaria erecta fuit, prout in patentibus ejusdem Philippi episcopi literis, quarum tenor est qui sequitur, videlicet = Philippus Dei gratia, et apostolicæ Sedis episcopus Comensis, et comes etc.

Tenor literarum patentalium episcopi Comensis, indulgentium erectionem ipsius sodalitii.

§. 2. Ad perpetuam rei memoriam. Æquum, et rationi consonum justa, et honesta potentibus gratum præstare assensum in iis præsertim per quæ fidelium pietas, et devotio augeatur, et ad charitatis opera exercenda homines inducuntur. Cum itaque dilecti in Christo curatus, et homines loci Ponti territorii de Medio Vallinæ Nostræ Comensis, et dominii temporalis illustrissimorum dominorum rhetorum precibus super hoc porrectis humiliter supplicarint, ut pro divini cultus incremento, ac sanctissimi, et augustissimi Eucharistiæ Sacramenti majori veneratione, et honore, animarumque salute, ac Christifidelium in pietatis christianæ augumento unam sub ejusdem venera-

bilis Sacramenti invocatione, et tutela singulari, confraternitatem, et scholam in ecclesia sancti Mauritii parochiali dicti loci Ponti erigere, et instituere vellent. Nos pium, adeoque sanctum desiderium pro Nostra pastorali sollicitudine amplectentes, auctoritate Nostra ordinaria, et omni meliori modo, via, jure, et forma, quibus melius possumus, his Nostris literis perpetuis temporibus valituris, scholam, seu confraternitatem ecclesiasticam scholarium ssm̃i corporis Christi, quæ sub regulis, institutis, atque ordinationibus jam præscriptis, sive in futurum per Nos præscribendis, et a Nostris successoribus episcopis Comensibus in Domino regatur, et gubernetur, ad omnipotentis Dei laudem, gloriam, honorem, et spiritualem Christifidelium profectum in ecclesia prædicta sancti Mauritii parochiali Ponti ad altare majus erigimus, instituimus, et creamus cum facultate eligendi priorem, sub-priorem, thesaurarium, et alios officiales: nec non et eidem scholæ, seu confraternitati omnia, et quæcumque bona, terras, domos, possessiones, redditus, proventus, et quæcumque alia bona, quæ ipsi scholæ, seu confraternitati per quoscumque ligari, donari, tradi, assignari, et concedi, dari, relinqui, aut vendi, et quæ per priorem, et scholares dictæ scholæ, seu confraternitatis pro tempore existentes, cujus nomine acquiri contigerit, per eosdem priorem, et confratres, seu deputatos ab eis possidenda, administranda, et in dictæ scholæ, seu confraternitatis, usus, et utilitatem convertenda damus, concedimus, applicamus, et appropriamus, quod omnium redditnum, successionum, eleemosynarum, donationum, et oblationum capax sit, et esse censeatur, ac omnibus indulgentiis, gratiis, privilegiis, immunitatibus, et prærogativis, aliisque quibuscumque similibus scholis sanctissimi Sacramenti hujus Nostræ diœcesis per sanctam Sedem apostolicam, et per Nos concessis, et in futurum concedendis gaudeat, potiatur, et fruatur volumus, atque decernimus hac conditione, ut Nobis, et successoribus Nostris pro tempore existentibus semper subjecta remaneat, ac rationem administrationis omnium oblationum, seu eleemosynarum dicti confratres singulo anno Nobis, et a Nobis deputandis reddere teneantur. In quorum fidem præsentes Nostras literas institutionis, erectionis, ac decreti episcopali manu signatas, et per cancellarium episcopalem subscriptas, sigilloque nostro munitas expediri jussimus. Datum, et actum Comi in ædibus Nostris episcopalibus die tertia mensis julii MDCXV.

Gig. Philippus episcopus Comensis.

Locus ✠ Sigilli.

Subscrip. Bartholomaeus Mainonus secretarius, et notarius apostolicus.

Literæ episcopi apostolica confirmantur auctoritate.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ad augendam pietatem Christifidelium ejusdem loci summopere conduceret, si erectionem, seu institutionem dictæ confraternitatis, ut præfertur, factam apostolica auctoritate confirmare dignaremur. Nos supplicationibus desuper Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas patentes literas, et in eis contenta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 30 januarii 1781 Anno VI

## CCXCVII.

Confirmatio translationis confraternitatis Domini Nostri Jesu Christi = dos Afflictos = et beatæ Mariæ de Rosario civitatis Lisbonensis ad ecclesiam sancti Joannis de Praca ejusdem civitatis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sub titulo Domini Nostri Jesu Christi dos Afflictos nuncupatæ, et B. M. V. de Rosario civitatis Lisbonensis, quod eorum confraternitas, quæ dudum in parochiali ecclesia sancti Petri de Alfama dictæ civitatis canonice erecta existit, postmodum ex eo, quod dicta parochialis ecclesia occasione terræmotus eversionem subjit, ad ecclesiam similiter parochialem sancti Joannis de Praca ejusdem civitatis, in qua ad præsens existit, etiam canonice translata fuit. Hac itaque translatione, et institutione secuta, iidem exponentes altare, seu cappellam in secundo dicta ecclesia decenter erigi curarunt, atque in ea, ordinarii accedente licentia, missas, ac divina officia celebrare, aliaque christianæ pietatis opera exercere, cum omnimoda subordinatione tunc, et pro tempore existenti parocho ecclesiæ secundodictæ hujusmodi ultro se obligarunt, prout in literis super obligatione hujusmodi confectis, et a tunc existente vicario generali patriarchalis ecclesiæ Lisbonensis recognitis latius continetur; quarum quidem literarum tenor est, qui sequitur, videlicet.

D. Antonio Bonifazio Coelho arcivescovo di Lacedemonia ec.

Tenor literarum datarum a vicario generali patriarchalis ecclesiæ Lisbonensis, super obligatione suscepta a parocho ecclesiæ s. Joannis a Praca.

§. 2. A tutti quelli, che la presente provisione vedranno salute, e pace per sempre nel Signore. Facciamo noto, che il giudice, e confratri della confraternità del Signor Gesù degli Afflitti della parrocchia di s. Pietro de Alfama rappresentarono a sua eminenza, ch' eglino si stabilirono nella parrocchia di s. Giovanni da Praca, ove presentemente esistono, e siccome in virtù dell' approvazione del loro compromesso sono soggetti alla protezione di sua eminenza, lo supplicavano, che gli facesse sottoscrivere l' atto nella camera patriarcale di soggezione alla detta parrocchia di s. Giovanni da Praca, essendo pronti a sottoscriverlo, volendo continuare con il culto al detto Signore Gesù per loro divozione, edificando la sua cappella nella nuova chiesa parrocchiale di s. Giovanni da Praca, facendo istanza in fine della loro supplica all' eminenza sua ordinasse spedirglisi la provisione; ed essendosi considerata dal detto signore la loro petizione, mi commise con suo decreto; e per mezzo del nostro ordinammo, che sottoscrivendosi nella camera l' atto di soggezione, si spedisse la provisione, al che immediatamente soddisfecero li supplicanti, sottoscrivendo nella camera patriarcale l' atto, in cui si obbligarono, e soggettarono a detta parrocchia di s. Giovanni da Praca, ed al parroco di quella, e che la detta confraternita, ed il suo compromesso sarebbe soggetta al detto signore, al quale effetto si spedì la presente, in virtù della quale acconsentiamo di soggettare la detta confraternita alla nuova parrocchia alias alla parrocchia di s. Giovanni da Praca, ed affinchè sempre ciò apparisca si registri nella camera. Dato in Lisbona 7 novembre 1770.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti quo præinsertæ literæ firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: translationem memoratæ confraternitatis, ejusque novam institutionem in prædicta ecclesia sancti Joannis de Praca dictæ civitatis Lisbonensis canonice, ut præfertur, factam, nec non præinsertas obligationes, prædictas literas, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Confirmatio apostolica literarum prædictarum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firmas, validas, et effi-

caces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictæque confraternitati, ejusque nunc, et pro tempore existentibus confratribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; ita ut desuper a quoquam nullo unquam tempore ex quavis causa, colore, vel prætextu quomodolibet molestari, seu perturbari valeant; sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ confraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die trigesima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno sexto.